6
17 D
45

M

IO. FRANCISCI BONHOMII CREMONENSIS

VERCELLARVM EPISCOPI

BORROMEIS.



MEDIOLANI,

Apud Iacobum Picaleam. M. D. LXXXIX.

DE CONSENSV SVPERIORVM.

CVM PRIVILEGIO.

EORVM QVAE IN HOC OPERE HABENTVR CATHALOGVS.

Io. Franciſci Bonhomij.
Borromeidos libri quattuor.
Euchariſtirion ob victoriam ad Echinadas partam.
Eiuſdem Auctoris vitæ breuis commentarius.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EORUM QUAE IN HOC OPERE
HABENTUR CATHALOGUS.

Io. Franciſci Bonhomij.
Borromeidos libri quattuor.
Euchariſtirion ob victoriam
ad Echinadas partam.
Eiuſdem Auctoris vitæ breuis
commentarius.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM GVILHELMVM COMITEM PALATINVM RHENI, VTRIVSQ. BAVARIAE Ducem Dominum ſuum.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

CVM in manus meas Sereniſſime Princeps hæc inter cætera venerandæ memoriæ Reuerendiſsimi Ioannis Franciſci Bonhomij Epiſcopi Vercellenſis ſcripta, iam olim ab ipſo Auctore Celſitudini tuæ dicata perueniſſent, viſum mihi eſt, nulla ratione prætereundum, qui hæc prælo darem, typiſq́ excuſa ad illam ipſe perferrem, vt ſingularem magni illius Sacerdotis in eximia Celſitudinis tuæ Sereniſſimæ merita obſeruantiam, propenſionemq́ animi, quam viuens ſcriptis etiam ſuis conſignauit, teſtatam omnibus relinquerem; ſimul, ne graui me ſcelere obſtringerem

rem, ſi iuſtam in primis atq. honeſtiſsimam viri optimè de Republica Christiana meriti mentem, ego qui illi pro ſummis erga me meritis omnia debebam, quà poſſem ratione aſſecutus non fuiſſem; præſertim cum mea Celſitudini tuæ deuota voluntas id a me poſtulare videatur, vt quæ auſpicijs tuis lucubrata ſunt tibi etiam vni dicanda exiſtimem, vt quemadmodum qui ærario tuo tributa debent non aliam quam tui ipſius imagine inſignitam pecuniam pendere ſolent, ita libri, qui tibi dicati ſunt, tuo etiam Auguſtiſsimo nomine inſcripti exeant, quibus etiam breuem quendam huius ſacerrimi uiri præclarorum facinorum commentarium adiunxi, quod eorum recordationem non mediocrem Celſitudini tuæ voluptatem parituram fore confidam. Accipe igitur Sereniſsime Princeps, qua es humanitate hoc a deditiſsimo tuæ Celſitudinis Seruo munuſculum, propenſæ cum ipſius Auctoris tum meæ in Celſitudinem tuam voluntatis, & obſeruantiæ argumentum, meq; ipſum iam totum tibi deuinctum, qua cæteros ſoles, benignitate complectere.

Sereniſs. Celſitudinis tuæ,

Humillimus & deditiſsimus ſeruus

Lucas Burgius.

IO. FRANCISCI BONHOMII
CREMONEN. BORROMEIDOS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Liber Primus.

INSUBRUM cano Paſtorem, qui pro grege ſacro
Multa tulit, fecitq; volens, nec tela, nec hoſtes,
Tormentiue ictus metuit, flammam ore vomentis,
Dum priſcas renouat leges, moresq; reformat.
Aligeri iuuenes, cœli nitidiſsima pubes,
Dicite, queis odijs, quo mens accenſa furore
Auſa nefas tantum eſt, ereptus quaq; ope morti
Vir pietate grauis, Tyrioq. inſignis amictu.
Tu vero decus o priſcæ pietatis, & ingens
Gloria Germanæ gentis, cui læta profundum
Danubium ſupraq., infraq; Bauaria paret
Accipe, quicunque eſt, noſtrum Guilhelme laborem.
Senſerat inferni Regnator callidus orbis
Vndique damna ſuis iam concurrentia Regnis
Haud leuia inferri, inq. dies maiora parari,
Et vix ſpem rebus ſupereſſe cadentibus vllam,

Ni

Ni validà properet dextra ſuccurrere, ſummaq;
Enitatur ope inſtantes arcere ruinas.
Nanque orci quæritur bis ternos portitor annos
Vſque leuem cymbam ſtygiam tranare paludem,
Et gemere aſſuetam ſub iniquo pondere, & atram
Excipere interdum ſuperantis gurgitis vndam;
Tum ſuperis veniunt cœtus mæſti vndiq; ab horis
Deluſaſq. dolent artes, vireſq. priores
Pontificis cura, Romana qui ſedet in Vrbe,
Et virtute virum, quos ille huc mittit, & illuc,
Illius in primis, Inſubrum cui data cura eſt.
Talia dum circum per triſtia Regna feruntur,
Concurruntq. ijdem rumores vndiq., & omnis
Impia turba ruit triſtis ſtudio excita famæ,
En furit innumera Alecto comitante cohorte,
Adueniens ſuperis mæſtiſsima nuper ab oris,
Ditis, & internas admitti expoſcit in ædes
Maxima habere ferens, referat quæ Regis ad aures.
Atria tum patuere domus ingentia ſacræ
Horriſonoq; fores ſtridentes cardine apertæ,
Interiora domus, poſtquam in penetralia ventum eſt
Plutonis ſtygij, & coram data copia fandi,
Turbato ducens ſuſpiria pectore, & altos
Effundens gemitus, tandem ſic ore locuta eſt.
Maxime Rex nutu qui regna hæc ima gubernas
Cuius & Imperio ſuperi pars magna ſubacta

Orbis erat; ſemperque tua ad vexilla parata;
Vrbem adij Inſubrum claram, quæ maxima pingui
In regione; tuas genio modo dedita leges
Propenſo excoluit ſtudio; & tua iuſſa ſecuta eſt
Paſtoremque ſuum ſemper qui ſpectat ouile,
Incubat, & duris ſtratis, nec lumina ſomno,
Declinat, ſed cura animum, & per ſomnia verſat;
In populoſque tuos craſſatur, ſummaque Regno
Damna tuo, ni iam occurrat tua dextra, minatur,
Iam petij; & toties properaui perdere, & omnis,
Quam nobis comitem addideras inſtructa caterua,
Nil intentatum, fraudiſuè, aſtuſuè reliquit,
Hoſtis, vt ille tuus; perturbatorque tuorum
Infandus meritas daret atro funere pœnas,
Incaſſum tamen; obteſtor tua numina Rector,
Per ſtigioſque lacus iuro, fruſtra omnia, quando
Illæſus medijs, ſtrictiſque ex enſibus ille
Euaſit, vidi his oculis; & cernere tantum
Vix potui ſcelus, ingenti perculſa dolore.
Illa ego, quæ gentes in triſtia bella ciere
Cognatas olim valui, & violare vetuſtæ
Fœdus amicitiæ; & thalamos fœdare iugales
Sanguine; & inſontes ſontes detrudere ad orcum,
Et fratrum toties fuſo ſaturata cruore
Exiguam ob cauſam populos excindere, & vrbes
Antiquas, necnon auguſta euertere regna;

In mare ceruleum toties, quæ flumina vidi
Multis purpureas voluentia cædibus vndas;
Ipſa ego, tot ſocijs comitata, tot artibus, & tot
Auxilijs inſtructa nouis, nunc vincere inermem,
Haud hoſtem potui, turbatoremq; quietis
Infernæ, & ſtygijs regnis extrema parantem?
Hæc vbi dicta dedit, ſæuas exarſit in iras
Rex centum geminus, totidem mutatus in ora,
Naribus, atque oculis, flammato & pectore diras
Effundens flammas, tortoſque e crinibus angues
Eiaculans, tandem horrifica ſic voce profatur;
Segnis magna tui mandata implere Tyranni
Degener Alecto, nequiſsima vos quoq; turba,
Siccine commiſſo gens perdita crimine tanto
Ante ora audetis magni conſiſtere Regis?
Turba ſub inferno nuſquam Ioue digna mereri,
Ite, nec ante aliquis conſpectu aſsiſtere noſtro
Audeat ex vobis, quàm vita exceſſerit ille
Impius, & nocuo macularit ſanguine terram,
Ima relegati, vel certe in tartara abite
Nullo vnquàm ſuperas redituri tempore ad auras;
Scilicet imbellem mortalem extinguere tantus
Eſt labor, incautumq; inopina perdere morte.
Triſtis ad hæc, demiſſa oculos, cocythia Virgo
Et crines reſoluta, quid ò Rex maxime Regum
Quid precor indicta immeritos damnare ſub orco

Nos

Nos cauſa iuuat? effarri permitte, quis ullum
Adſcribat facinus? nil non tentauimus ultro,
Num uires etiam noſtras ſuperare iubemur?
En ſeriem paucis, rerum haud ignara, reuoluam,
Et pergam fando duros renouare dolores,
Et traiecta nouis transfigere pectora telis,
Maturo ut tecum ualeas expendere Princeps
Conſilio, quid opus tanto in diſcrimine rerum,
Vtque ferum liceat labenti auertere regno
Exitium, tandemq. hoſtem ſuperare potentem,
Ordine cuncta iube, ſi uis, noſtro ore referri;
Tum nullam infelix Alecto in pectore ſacro
Si forte inueniam pietatem, & fixa uoluntas
Stet tua, perpetuo inuiſum ut detrudar in orcum,
Parebo: & superi mihi nulla erit amplius orbis
Cura, nec ardentes in Martia bella ciere
Mortales, ſtabilisq. infringere fœdera pacis,
Forſan & immeritas olim damnaſſe pigebit,
Et miſeram Alecto in tenebras egiſſe profundas,
Nec ſemel immerſam fundo reuocare licebit.
Olli ſedato paulum Rex annuit ore,
Poſsit ut illa ſuam, & ſociorum dicere cauſam;
Tum lachrymis mœſta ora rigans ſic fatur obortis.
Non agere Alecto tecum iuſtiſsime Iudex
Decreuit multis, non fuco, aut artibus ullis
Fidere, uel ficto prætexere nomine culpam;

At ſeriem tantum mens eſt exponere facti.
Vt tua ſuſcepi primum mandata repente
Acciui ſocios, quorum mihi cognitus vſus
Iam fuerat, virtuſque in ſummis nota periclis;
Tartareaq; domos forti comitata phalange
Linquentes ſubito ad ſuperas euadimus auras,
Per liquidumque citis currentes aëra pennis
Vrbem, quæ media inſubrum eſt regione, caputque
Nobilitate potens, & pingui fertilis agro,
Et celebri ante alias populo numeroſior omnes;
Ingredimur; ſummaque actutum inſiſtimus arce,
Vnde patet partes Vrbis proſpectus in omnes.
Hinc centum è ſocijs lectos ex agmine toto,
Exploratores demitto, & talia mando:
Ite agite, & celeres cuncta explorate, quid ille
Callidus hoſtis agat, quid nunc ſtruat impiger, olli
Quis tota infenſus, quis amicus in vrbe, referte;
Huic populus magis, an proceres extrema precentur,
Turbatori hominum pariter, noſtræque quietis;
Noxia quis fœdo capiti ſit ad arma futurus
Promptus ſi noua ſeditio exoriatur in Vrbe;
Quæ potior via ſit nobis incunda paratis,
Vt tantam terris liceat depellere peſtem.
Vix ierat dimiſſa manus cum læta repente
Proſpera cuncta refert nobis ſuccedere, quando
Vrbs fere tota odijs illum ſectatur acerbis;

Et

Et licet ignari hunc populi pars magna ſequatur,
Quæ peſti deuota ſuæ, certæq; ruinæ
In præceps ruit, & laxis lætatur habenis,
Nobilitas pene omnis cum tamen odit, & horret,
Inſuper incenſa eſt animis pars maxima ſacræ
Gentis, ſeiuncta a populo, rituq; dicatæ
Præcipuo ſuperum Regi, quam legibus ille
Uſque nouis premit, & nullam dat habere quietem
Nec quiſquam eſt vitam, qui iam non ducat acerbam
Uſque inuiſa adeo ſunt ſigna Tyrannidis, & iam
Tanta lues terras prope formidata per omnes.
Et quamuis gens ſacra, nouo perculſa timore,
Excuſſiſſe iugum non hactenus auſa, parata
Semper erit tamen huic paſsim ſe opponere, & hoſtem
Seſe inferre viro, modo ſpes nonnulla ſuperſit,
Poſſe aliqua obſiſti ratione in manibus auſis,
Auertiq; rudes animos, ſuſpectaq; plebis
Pectora mutari, fieriq; inimica Tyranno,
Sic fore vt ille ſuis iaceat ſine viribus, vlloq;
Auxilio, & noſtris ſuccedant omnia votis.
Talibus auditis facilem, certamq; nocendi
Nacta viam, turri ſubito delabor ab alta,
Et prius inſtruxi ſocios, vt in arma ruendum,
Tendendi vt laquei, vt cæco replenda furore
Pectora, & infuſo corda inficienda veneno.
Eſt multa conſtructum arte excelſiſq; columnis

Templum

Templum ingens, inſigne vocant Scalenſe, quod olim
Auguſti poſuere Duces, & dotibus amplis
Auxerunt, quod nunc ſub iure eſt Regis Iberi,
Pulchra Sacerdotum manus incolit, atque ibi laudes
Dicere ſueta ſuo, & perſoluere ſacra Tonanti,
Et licet illa ſui ad nutus Antiſtitis olim
Vixerit, atq; libens fuerit mandata ſecuta,
Nunc tamen exemptam ſe ficto obtecta colore
Iactat ab inuiſi iure, & ditione Tyranni,
Idq; ideo vt, tantum leges euitet acerbas,
Excutiatq; graue haud humeris tolerabile pondus
Humanis, lætam & valeat ſic degere vitam.
Forte ibi pro ſtudijs, pro libertate tuenda
Concilium veteri prudens chorus omnis habebat;
Ecce egomet, mecum ecce cohors mea tecta domorum,
Atque apicem templi, & faſtigia ſumma tenemus;
Ac templum circaq; domos glomeramur, & ædes
Ingreſsi noctem primum diffundimus atram,
Moxq; ſacerdotum obſeſſo pars inſidet ori
Vipeream ſpirans, animam, pars occupat ima
Pectora; Gorgoneisq; agitat tumefacta venenis,
Pars alia irarum ſtudijs intenta miniſtrat
Tela, faces, diros atque oſsibus implicat ignes;
Aſt vnum ipſa peto comitum, quem tangere nullus
Auſus erat, noſtris ſeruatum viribus vnum,
Audacem, atque animo turgentem, et corpore amicum,

Et

Et bene promeritum noſtra de gente tot annos,
Hic calaber genere, & multis addictus ab annis
Scalenſi fuerat templo, hunc ea cura manebat
Gaudentem œconomi pulchro cognomine, Regis
Nomine, Pontificum viſo diplomate, iura
Cuiq. ſacerdotij vt placitum permittere, & vſum.
Colligere hic ſacros prouentus vndiq, vt auro
Multo animum, ſi quà potis eſt ſaturaret, & omnem
Quæreret hinc luxum, & melioris commoda vitæ.
Hic olim ſæui ſe Antiſtitis ante tribunal
Siſtere iuſſus erat, facilemq haud dicere cauſam,
Læta ego ſuſpenſum hunc animo, & ſibi multa timentē
Aggredior, primosq odij, quos ſenſerat, æſtus.
Flatibus accendo, durisq ſub oſsibus ignem
Immitto, valeant quem nullæ extinguere vires;
Quin etiam ereptum intortis è crinibus anguem
In captum iacio, & ſinuoſa veſte recondo;
Ille autem illabens celer in præcordia, totum
Infecit pectus, labefactiq. intima cordis
Tota ad concilium ſubito hinc ruit impete turba.
Poſtquàm conſenſu ſunt facta ſilentia, & aures
Arrectæ, intentiq omnes ſimul ore fauebant,
Inde moræ impatiens Calaber; duriſsima paſſi.
O ſocij, ſed enim longe grauiora timentes
Ec quid, ait, ſegnes iuuat intolerabile, iniquum
Ferre iugum? leges, & adhuc perferre nefandos?

Ille quidem noſtras ædes inuiſere tentat ;
Non aliqua , vt fingit , ductus pietate ; ſed illo ,
Quo flagrat ſtudio , cæcaque libidine captus
Regnandi ; duraque omnes ditione premendi ;
Sin aliam vafri libeat perquirere cauſam
Conſilij , illam etiam certo affirmare licebit ,
Vt bona noſtra , quibus iampridem inhiare videtur,
Impius in famulos inopes , turbamq; rapacem
Diſtribuat , populique auram ſic captet inanem :
Scilicet illa boni Paſtoris , vt ipſe videri
Vult , ſpoliare greges , mactare , & perdere cura eſt .
Hinc ego , quando alij timeant obſiſtere , ſolus
Occurram , nil ipſe timens , pulchrumq; putabo
Annoſum hoc dextræ iuuendi opponere pectus ,
Atque adeo , vt facilis pateat via limite aperto
Expugnandi acrem , Dijs inſpirantibus , hoſtem ,
Audite ò ſocij , intrepidiq; audete , quod ipſe
Monſtrauit Deus ; audentes fortuna iuuabit .
Extat in antiquis templi Diploma tabellis
Nobile , quo clemens Princeps mitiſſimus olim
Pontificum ſummus templum decorauit , & illi
Adſcriptos multis cumulauit honoribus , inter
Quos voluit tantum ſibi , ſucceſſoribus atque
Præclaram hanc molem noſtros atque vndiq; fines ,
Et iura , & gentem , templique ſubeſſe miniſtros ,
Præterea ſub nulla vnquam ditione futuros ,

Et licet expreſſe conſenſum Antiſtitis olim
Exigeret, vere qui nunquam acceſſit, at illa
Cura mihi ſit noſtra viri defendere cura,
Fictaq; pro veris conſtanti dicere voce,
Ecquis enim arguerit leges violare nefandum
In ſæuum nullis utentem legibus hoſtem?
Vir ſacer en aderit Papienſi accitus ab agro,
Qui pia Pontificis Clementis iuſſa faceſſens
Hos, viſum ut fuerit, noſtrasq; tuebitur ædes,
Veram quando etiam ſit opus contendere factis
Armatam mihi cura manum ſit cogere, & hoſtem
Finibus e noſtris audacem hac pellere dextra,
Tantum quiſque meis veſtrum non abnuat auſis,
Tantum uti, ò comites, liceat mihi nomine veſtro.
Tum verò illius templi e cuſtodibus unus
Forte virum duro percuſſit ſtipite multus,
Unde repete cruor paruo haud de vulnere fluxit,
Hnnc igitur iubet ille, vices Paſtoris iniqui
Qui gerit, acciri, pœnis ut mulctet acerbis,
Iamq; aderat ſacer, aſt humilis uir ſortis ab agro
Accitus Papienſi, hominum uix cognitus ulli,
Barbeſta haud claro paſſim cognomine dictus,
Ergo ut turbari ſcalenſia iura, vocatum
Et templi cuſtodem audit, ſubito æſtuat ira,
Fulminat, ingentiq; æſtu, cæcoq; furore,
Tum turbatori pœnam, quæ maxima habetur,

Inter Chriſticolas verbo, ſcriptoq. minatur,
Ni ſubito inſanis cœptis abſiſtat. At ille
Talia nil curans hominis mandata minaſque,
Parentem haud iuſsis cuſtodem damnat, & omni
Iure ſacerdotum ſpoliat mandatq; caueri
Nos minus à populo, quam ſi foret impius hoſtis.
Tum furijs magis accenſus Papienſis, & ira
Dum ſua ſic mandata videt contemnier, illum
Pœna, qua fuerat Cuſtos multatus, eadem
Multat aquaq. illi ſimul interdicit, & igni,
Vſq; foret ſua nota palam ſententia plebi
Perq. vias medias, per compita, per fora paſsim
Affigi, & tota vulgari præcipit vrbe.
Nec minus Antiſtes ſæuus furit armaq; poſcit,
Arma quibus miſeras perdat nece peius acerba,
Scilicet atratos calamos, triſtemq. papyrum
Indicitq; diem, quo templum inuiſere, & omnes
Aſcriptos, vt ait, vult, at male perdere tentat.
At Calaber cernens nil deterrere ſuperbum,
Siue mouere virum Barbeſtæ iuſſa minantis,
Sed magis atque magis durare, & tendere contra,
Et furit, & nulla iam diſsimulare furorem
Eſt ratione potis, pectus vorat abditus anguis,
Infundit virusq. nouum, & noua vulnera cordi
Imprimit. Ille autem totam prope circuit Vrbem,
Conclamatq. amens, miſeris ſuccurrite ciues.

Impius

Impius en hoſtis noſtra intra mœnia ſæuit
O ſocij, forteſq. viri, date tela, date ignes,
Perdite crudelem peſtem, ingens ſternite monſtrum:
Turba leuis fauet oranti, ſequiturq. vocantem,
Præcipuè qui amant rixas, cædeſq. recentes,
His ego iam, peſti deuotis virus, & ignes
Addo, & tabificos immitto cordibus angues,
Vt cupiant, properentq. ferum iugulare Tyrannum.
Et iam lux aderat nimium expectata, datura,
Par vt erat, nobis multo illum vulnere cæſum,
Cum uenit infauſti præmiſſus nuncius ecce
Aduentus referens hoſtem aduentare ſuperbum,
Acribus hic uerbis, multo & clamore repulſus,
Iniectamq; manum in ſacrum, at ſine uulnere, pectus
Excepit, Dominoq. celer rem detulit omnem.
Ille graui exardens ira, cæcoque furore
Quadrupedem aſcendit tarde incedentis aſelli
Progeniem, ſed equam curſu præuertere matrem
Aſſuetam, celereſq. fuga ſuperare quadrigas
Subijciunt ſe in equos ſocij, peditum id ſimul agmen,
Nec dilecta ſuum prece plebs lachrimiſue retardat.
Iamq; propinquabat templo, quem in veſtibus atris
Stipabant comites, coruorum impaſta caterua,
Tunc ego cum ſocijs tempus rata adeſſe nocendi
Et Calabrum, & Comites nutantes, instruo, & ignes
Addo animis, vireſq; nouas, moneoq. patentes

Ne qua hoſti poſtes vementi occludere tentent,
Egregium magis eſſe, viros fortesq; decere
Viribus admiti contra, non obice poſtis,
Sic uanos fruſtrari auſus, ſic ludere inermem;
Is famulos ut ueſtibulo conſpexit ab ipſo
Arceri, ingreſſumq. negari ſenſit aperto
Marte, animos tollit, cæcoq; exæſtuat igne,
Deſilit acer equo, conſuetaq. corripit arma,
Arma inimica gregi noſtro, queis plurima fidens
Tutus ubiq; uiam carpit, tum pectore toto.
Connixus turbæ obſtanti ſe turbidus infert,
Veſtibulo ſubit, & foribus ſe immittit apertis:
Non aliter quàm cum multo munita petuntur
Milite, & innumeris circundata mœnia vallis
Signifer ante alios campo ſeſe arduus offert,
Martis amore ardens, pulchræq; cupidine laudis,
Innumera haud illum terrent vel tela, vel ignes,
Saxa vel aggeribus deiecta immenſa, vel haſtæ
Obſtantes, diræ vel certa pericula mortis;
Tum ſubito armatam hinc, atq; hinc inſurgere gentē
Cernere erat, ſtrictiſq; peti mucronibus vnum.
Aſt ego, vt in vacuum prætenſi tendere inanes
Aera tot gladios, illæſumq; ire Tyrannum
Id ſigni illius fieri uirtute, tenebat.
Quod manibus, rata, ficta celer transmutor in ora,
Atq; inter numerum armatorum immixtaq; turbæ

Ful-

Fulmineum gladium vibrans, obſiſtere nullæ
Cui galeæ, aut loricæ vnquàm valuere trilices,
His gladium manibus quem feci ex ære nitenti,
Candentemq; atro tinxi Phlegetontis in amne,
Aduerſum aggredior, totis, & viribus vnà
Collectis, veluti ſi ſuccidenda fuiſſet
Vno dura ſilex clypeuſue adamantinus ictu,
Alta crucem ferio, & mediam ſecuiſſe reor iam,
Restitit argento ſed inanis truncus, acutamq.
Hanc aciem (mirum) ut cernis Rex magne retudit,
Quæ ferri poſtes olim, & thoracas ahenos
Diffidit, & nunquam non immedicabile vulnus
Attulit, ac ſemper falcis fuit æmula mortis.
Nec licuit tentanti iterum mihi pectus inerme
Enſe ferire, aliqua aut mortalem abſumere uitam.
Hic licet ingenti (infelix) perculſa dolore,
Non tamen aut animo deiecta, aut territa, uoces
Terrificas ego cum ſocijs amiſimus, una
Totus at intonuit diris clamoribus ater.
Perfidus hinc hoſtis pellatur, det nece pœnas.
His facilis quondam fuerat plebs ſueta cieri
Vocibus, & ruere in præceps furibunda, nec igni
Parcere, nec ferro, ſed nunc velut exanimis ſtat,
Ac magis infenſo fauet, heu ignara, Tyranno.
Vix tandem illæſum, intrepidumq; arcemus ab ipſo
Veſtibulo, obſtantem manibuſq; humeriſq; prementes.

Sic

Sic fraudes, arteſq; & vires impius omnes
Ille, tamen ſuperum vi multa, ut credere fas eſt,
Defenſus (nec enim humanis id viribus unquam
Attribuam) victor ſpe nos deluſit inani,
Damna etiam Regno maiora daturus Auerni,
Spiritus immanes donec reget improbus artus.
Diſpiciat nunc magna ſacri prudentia Ditis,
An miſera Alecto, non ulli obnoxia culpæ,
Cum ſocijs quidquid potuit, quæ præſtitit ardens
Cæde viri ætei num ſit detrudenda ſub orcum;
Diſpiciatq; feram ut labenti auertere cladem
Imperio liceat, tum qua ratione quibusue
Artibus inuicti vinci hoſtis robora poſsint.
Ac triſtis tandem hæc effata quieuit Erinnis,
Oraq; demittens, bifidis pallentia plantis
Imprimit operiens Regis mandata furentis;
Ille autem immani ſtridet veſanus in antro
Horrendum, ſpiratq; vomens, & ſulfur, & ignem,
Et totum horrifico quatiens Acheronta tridente;
Dentibus infrendens ſolio ſic fatur ab alto.
Te licet, & comites Alecto abſoluere turpi
Segnitie, culpaq; graui haud conficta queat vox,
Noſtra tamen vobis propior clementia parcit.
Hoſtis at ille furens, & perturbator Auerni,
Iam pereat, carpat vitalem haud amplius auram;
Inſurgant Erebi vires, arteſq; potentis;

Deſinat

Deſinat ut tandem noſtro inſultare tridenti
Mortalis ; certum eſt ; quacunque hunc perdere furem.
Dixit & acciri fratres iubet ocyus omnes ,
Qui loca ſenta ſitu , quiq́ antra recondita terris ,
Qui ſuperasq́ colunt oras , ſiue æquoris alti ,
Aëris aut liquidi campos , genus omne , ſequenti
Nocte coire ſimul ; ſacramq́ indicit ad aulam
Concilium horrendum . Dat dirum buccina ſignum ,
Quo ſubito longeq́ omnes tremuere cauernæ
Telluris , totum & concuſſum eſt æquor ab imo ,
Inſolitisq́ ater ſonuit clangoribus æter ;
Anxius ipſe animum turbatum huc diuidit , atq. huc,
Et tacito interea premit altas pectore curas .

IO. FRANCISCI BONHOMII CREMONEN. BORROMEIDOS.

Liber II.

Poſtera iamque Erebo ſurgens nox horrida Phœbi
Expulerat iubar, & tenebras induxerat atras,
Cimerijs qua nulla vnquam nox exijt antris
Nigra magis, cæcàue magis caligine ſepta;
Sydera tum nullis micuerunt æthere toto
Luminibus, ſolitamq́; negauit Cinthia lucem.
Cum genus inuiſum cœlo, terraq́;, mariq́;
Gentis lucifugæ, (æthereis quæ ſedibus olim
Pulſa, ducem maleſana ſequens, factusq́;, doliq́;,
Autborem) excitum ſub prima ſilentia noctis,
Arripiunt iter ad diri ſacra limina Ditis:
Hunc ſi tota mihi fandi ſe copia promat
Haud numerare queam ſedes, quibus impia turba
Quiſq́; ſuis, ruit in barathrum celer acta profundum
Siue quot inter ſe variantnr in hora, referre:
Tum minus ingentem numerum comprahendere gentis
Totius ad ſtygij properantis iuſſa Tyranni.
Nam poſt commiſſam antiquam ſuper æthere pugnã,

Cum dux aligerum tumidus turbæque rebellis
Erigere, & ſolium, medioq; aquilone locare
Sceptra nefanda, altoque auſus ſe æquare tonanti;
Ipſe prior, reliquiq; omnes vexilla ſecuti
Impia, ſpe luſi fallaci; & ſedibus altis
Deiecti, nutuq; Dei; inuictaque potentis
Militiæ ducis æthereæ virtute tenebras
Pars petiere imas; liquidum pars aëra vaſtum
Pars coluere æquor, pars ſtagna paluſtria, fontes
Hi gelidos; alij torrentia flumina, at illi
Valles, aerioque intonſos vertice montes,
Syluarum hi latebras atque inuia luſtra ferarum;
Pars humiles colles; & paſcua læta, virentes
Pars campos ſegete, & pictos bene olentibus herbis.
In triuijs hi conſedere patentibus, atque in
Quadriuijs, diſperſi illi per caſtra, per vrbes:
Vt pars nulla lue immunis foret orbis ab iſta,
Sic placitum ſupremo hominum, Diuumque parenti.
His varia apparet facies, diuerſaque forma
Corporis eſt, Sphingas referunt hi namque minaces
Centauros illi horrificos, Scyllaſque biformes,
Gorgones, Harpiaſque, truces pars magna Chimeras,
Pars capreas, pardoſque, vrſoſque, lupoſq.; leoneſq.
Indomitoſq. ſues, & amictos ſpicula echynos,
Sibilaque, & læthum, iaculantes ore dracones,
Et tigres, pantheraſque, & genus omne ferarum;

Quadrupedũm, bipedumq; , et ſquammis terga rigentũ
Et quibus immanes pluma horrida contegit artus ,
Quas Nili fœcunda vndis Aegyptia tellus
Gignit , arenoſæ , aut Lybiæ vaſta arua tulerunt ,
Vnquam aut æquoreis Neptunus nutriijt vndis ,
Aut ſi qua eſt alibi fœda , aut informis imago ,
Quam tulerit natura , aut ars ſibi finxerit , aut mens ,
Illam , crede , omnem per triſtia monſtra relatam .
Illa tamen cunctis manet vnica cura , parare
Inſidias hominum generi , extremasq; ruinas ,
Authoremq; odiſſe ſuum , fratreſq; beatos ,
Bella iterum cœlo liceat ſi inferre paratis :
Atque eſt conditio par omnibus illa , tremendis
Ex oculis vt terrificos , & naribus ignes
Nec minus ore vomant vaſto , plantæq; manuſq;
Duris armatæ digitis , ſinteq; vnguibus vncis ,
Et cauda obſtantes turpiſsima verberet auras ,
Cornibus inſertumq; minax caput horreat atris ,
Immaneſq; humeri dirum ſtridentibus alis
Sint tecti , non plumigeris , ſed qualibus ater
Sub primam Veſpertilio ſecat aëra noctem .
Aſt eadem non ſemper eis eſt forma , ſed omnes
Vt lubet aſſumunt ſpecies ceu ſacra libido
Fert capiendi , hominum placidæ ſub imagine lucis ,
Terrendi aut diris nutantia corda figuris ,
Suntq; adeo tenues vitæ , ſine corpore vt vnquam
Humanæ

Humano haud valeant diſcerni lumine, ni ſe
Ipſi prodiderint oculis, quos fallere curant,
Sponte, vel occalta fuerint virtute coacti,
Obſtrictiue ſacri per iuſſa verenda miniſtri.
Si vero numerum cupiat, quis noſcere certum
Noctiuagæ turbæ; is curas ſe paſcere inanes
Nouerit, haud aliter, quam ſi uelit ætheris ignes
Dinumerare, mariſue minutam in littore arenam,
Aut quot vere nouo frondes alit Apenninus,
Aut folia Ardennæ quot habent nemora ardua ſyluæ.
Poſtquam omnes Stygiæ tranarunt ſtagna paludis,
Conciliiq. locum petiere, ingentia tetro
Scilicet antra igne, atque atro ſquallentia fumo,
Quæ tanti inquirunt ſit motus cauſa, ciere
Quidue opus extremis ſocios a finibus omnes,
Et uaria inter eos dubio rumore feruntur.
Cum ſtridere fores auditum en cardine verſo,
Vaſtaq. recludi magni penetralia Ditis,
Mille illum diræ præcrunt, & mille ſequuntur
Vltricum facies, furiarumque agmina centum
Adduntur comites, totuſq. cietur ab imo
Tartarus, egreditur dum Rex immania tecta
Vni illi aſſurgunt omnes, genibuſq. recuruis
Inclinant retro capita, & uenientis adorant
Horrificam faciem, qua non crudelior uſquam
Eſt facies, aut ſæua magis, centum ora tumeſcunt,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Sulfurei vnde ignes, tetrique vomuntur hiatus,
Centenæ hirſutæ nares, & turpiter aures.
Bis centum arrectæ, bis centum lumina toruo
Dira ſupercilio, & ſæuas torquentia flammas,
Bis centum palmæ totidem quoque brachia, mille
At digiti totidemque vnci crudeliter vngues,
Cæſaries, & barba feris ſerpentibus horrent;
Quales nulla vnquàm Syrtes, aut uaſta Carybdis
Expuit, aut ſolis tulit horrens Caucaſus antris:
Ille autem ferus incedit, totoque ſuperbus,
Vertice ſupra alios quatiens capita ardua, greſſu
Irato ſolium petit, atque immania membra
Reclinat, tandemque furens ſic incipit ore.
Non leuis inſolito me uos accire coegit
Tempore cauſa, ò progeniti ſuper æthera fratres,
At ſæuis deiecti odijs, dextraq. ſuperbi,
Qui ſolus uoluit cælo regnare Tyranni,
Noſtis, ut ille etiam pulſis haud deſtitit unquàm
Inſultare, uolens iſtis ſine luce cauernis
Regnum immane Erebi iniuſta concludere lege,
Gentis ut humanæ imperium ſibi uendicet unus
Viuere ſub noſtra malentis lege, priorumq.
Ob ſcelus addictæ nobis lætale parentum,
Atque ideo proprium demiſit ab æthere natum
Membra hominum indutum, uili ſub imagine ſerui.
Qui uicto terrarum orbe haud contentus in imas

Has

Has etiam uoluit ſedes uictricia ſigna
Inferre, & fractis tot ouans abducere uinctos
Carceribus, meminiſtis enim, uerum altius iſta
Quid repeto, antiquoſue iuuat memorare labores?
Attamen aut toties deuictis, pacis inire
Fœdera cum diro placitum eſt iniuſta Tyranno,
Fortiter at uires ſæpe inſtaurantibus, acri
Et fera bella manu, tandem, victoria ſi non
Parta erat, humani, at generis pars magna ſubacta,
Dura trahebatur circundata vincula collo.
At poſtquam Synodum voluit Pius ille Tridenti
Cogere Paſtores accerſens vndiq́, & illos
Quos matutinus propior ſol aſpicit, & quos
Aſpicit occiduum dum ſe demergit in æquor.
Quot mala, quot ſtigijs inde orta incommoda rebus,
Scitis, & imperio quæ illata iniuria noſtro,
Non certe incauti tantæ venientia cladis
Damna, vel occluſis oculis accepimus, omnem
Mouimus at lapidem contra, quibus artibus, eheu,
Conati ſumus hoſtilem diſpergere cœtum?
At fruſtra, quando ille omni cura, atque labore
Aßiduo valuit cuncta aduerſantia, & artes
Et vires ſuperare omnes tandemque potitus
Optatis, victor res ad ſua vota peregit,
Riteq́ concilium crudele abſoluit, ab annis
Quo nil mille magis durum, infauſtumuè recepit

Tar-

Tartareum regnum. Sed nos decreta videntes
Nullo poſſe modo ſancita infringere, adorti
Itempeſtiuo authorem detrudere cetho;
Sic fore ſperantes, vt laxa licentia, iniqua,
Quiſquis ſucceſſor fuerit, decreta ſequatur;
Euenit ſecus, heu, noſtris contraria cœptis
Fata nimis, ferus heu, nimium Regnator Olympi;
Nam Pius alter ei ſuccedit nomine, at ipſa
Re nimis in noſtros crudelis, & impius vſus;
Hic obſeruari ſancitas non modo leges
Præcipit, aſt alias duras magis, & mage iniquas
Condit quotidie, errantesq. ita corrigit, vt iam
Effugere innumeros laqueos vix gaudeat vllus;
Inde fit, vt pleriq. grauis formidine pœnæ
Abſtineant lætos ſtygijs ſub legibus annos
Degere, & ad noſtros vitam traducere nutus;
Quid memorem quantis odijs; mea prima ſequentes
Iuſſa inſectetur, cœptoq. auertere curet.
Igneq. nolentes regredi mulctetur edaci?
  Vnus at ille vir eſt; nec poſſet maxima ab uno
Tandem Tartareis inferri iniuria regnis;
Sed multos adiutores; multosq. miniſtros
Addidit ætherei Rex immaniſſimus axis
Conſilijs haud inopes; atque impietatis amantes
Quorum operæ is fretus iam; quicquid ſacra cupido
Suggerit; aggreditur nec non vota implet iniqua:

Ille

Ille autem cui iam dominanda Inſubria, fœlix
Olim, nunc miſera nimium ditione ſubacta,
Contigit; heu quantà infernis incommoda rebus
Vltro infert? quid non hoſtis ſæuiſsimus audet?
Non illum terrent inſana pericula; nullus
Intrepido timor eſt; precibusue, minisuè mouetur
Nunquam vllis, vt propoſito flectatur ab illo,
Quod placuit ſemel id quamuis noſcatur aperte
Iniuſtum; videatq. ipſe; vt ne poſsit ab vllo
Inconſtans dici aut animò leue voluere quidquam:
Vtitur ille cibo modico; nec membra ſopore
Indefeſſa fouet, quem natura ipſa requirit;
Continuo incumbit ſtudio; duroque labori,
Et mollem aſſueſcens ad dura incommoda vitam,
Oblectamentum fugit omne, nec hora quietis
Eſt illi, vel cum exoriens ſol lumine luſtrat
Cuncta nouo, Oceani vel cum ſe mergit in vndas.
Hæc tantum, vt noſtram ditionem euertat, & ipſe
Solus in Inſubrum valeat regione tenere
Septra furens; patriam ſubigatq́ Tyrannide gentem,
Vt Rex Hiſpanis late qui regnat in oris,
Inſubresq. regit, oculis hæc aſpicit æquis.
Vt patitur ſua ſic iura indefenſa manere?
Nec rabidum Inſubris iam pellit finibus hoſtem?
Non'ne etiam ille bonis auſus ſpoliare paternis
Præclaros virtute, & nobilitatis honore.

Inſon-

Inſonteſq; viros, tulit vt maleſana libido?
Vnde, heu, diſcinctæ tanta eſt patientia genti
Haud ſolitæ perferre iugum crudele, nec vnquam
Legibus aſſuetæ vllius ſeruire Tyranni?
Mille quid ingrato referam pulcherrima dona?
Dona alijs optanda viris, oblata? ſuperbus
Quæ ſpreuit noſtra haud ſummos dignatus honores
Accepiſſe manu? latiſsima prædia, & omnes
Diuitias, plauſuſq; hominum, placidamq; quietem?
Ille quidem illuſtri natus de ſtirpe parentum
Aſſuetus teneris ad mollia commoda ab annis,
Hinc magis, atque magis cumulatus honoribus amplis,
Delicijs, opibus, famulorum mille cateruis
Stipatus, ſummo ille Pio dum proximus hæret
Sanguine coniunctus, rerumq; gubernat habenas;
Proſpera quanta etiam ingrato ſuccedere, quæ nos
Aduerſis miſcere datum, permiſimus vltro?
Quanta voluptatum delectamenta? quot illi
Obtulimus mundi illecebras? queis cætera certis
Gens hominum laqueis capitur, queis dulciter hamis
Tracta, volenſq. viam ſequitur mea caſtra perampla.
Queis tamen ille nihil motus duriſsima ſemper
Prælia nobiſcum geſsit, crudelibus vſque
Inſectans odijs noſtra agmina, fœdera nunquam
Vlla volens ſtygia cum gente ſuperbus inire.
Nunc autem quæ, & quanta viri ſint auſa proterui,

Siquis

Siquis forte cupit veſtrum cognoſcere fratres,
Diſcat ab Alecto, Inſubrum quæ nuper ab vrbe
Re venit infecta, innumera cum gente, refertq́;
Se petijſſe dolis, atque artibus omnibus hoſtem,
Armataq́; manu, nihil at potuiſſe nocentem
Lædere, qui ſibi iam præſumit cuncta licere,
Exitia & regnis extrema minatur Auerni.
Vt vitari igitur tam dira pericula poſſint,
Conſulite ò ſocij, intentasq́; aduertite mentes,
Vtq́; ferum liceat proſternere, cui nihil enſis
Obſtrictus valuit nec cuſpis acuta nocere:
Mente etenim fixum digna ſtat, cæde merentem
Multare, & diro terras purgare veneno.
Sic fatur, tetriuq́; immanis flatibus implet
Cocytum, & ſæuas ſocijs communicat iras.
Tum fera Tiſiphone ingenti perculſa furore,
Vix regem dictis finem impoſuiſſe morata
Incipit. Heu nimium mites quandòque, remiſſas
Inferni leges Ditis, cum maxima Roma
Finibus è patrijs venientem excepit, agendum,
Tum non illecebris fuerat, uel dulcibus hamis.
Cum nec adhuc virtus foret illi obſiſtere telis
Aeratis, aciem duriue retundere ferri,
Crudelis quis enim ſperet fera pectora Tigris
Lenire? aut nigrum Aethiopis mutare colorem?
Ecquis eum teneris non præuidiſſet ab annis

E Mo.

Moribus inſtructum duris, monitiſq. parentum
Spondentem caſti ſummo ſeruare Tonanti
Primitias cordis, magnum fore gentibus hoſtem
Tartareis? at ſi qua fuit ſpes flectere durum
Pectus ea vna fuit, multos producere in annos
Dilecti vitam fratris, quem funere acerbo
Mulctaſſe, haud pietas, o Rex (ſi vera loquendi
Pace tua eſt hoc in cœtu permiſſa facultas)
Conſiliumue fuit maturum. Hinc ille teneri
Quem charæ ſobolis ſpe, & poſteritatis amore
Crediderat, ideoque fore, vt conſortis amatos
Coniugis amplexus voti, vitæque prioris
Quæreret oblitus, Stygio ſic rete reuinctus
Totus in aduerſum magna ui nixus in altum
Progreditur, cæliq. petit conuexa, nihil iam
Terrenum aſpiciens, non regum ſceptra, nec vllas
Auri diuitias, non ſummos curat honores,
Qui dudum fuerat viuenti acquirere fratri
Perpetuas intentus opes & condere Regna:
Regna quibus non Adriaci, non terminus eſſet
Thirreni maris vnda, nec vltima littora thules:
His animum dictis furiali percitus aſtro,
Exurgit ſolio triſtis Regnator auerni;
Qualis vere nouo latitans in puluere ſerpens
Si fuit incauto preſſus pede forte, venenum
Ore, oculiſq; vomens ſubito ſe attollit in auras

Et

Et percuſſorem lethali luminis ictu,
Ore venenato nondum, caudaue petitum
Mortifera, proſternit humi exanimemq́ relinquit,
Tiſiphonem haud aliter contra Rex ſæuit, at illa
Procidit extemplo; veniamq. precatur, & ipſam
Iam pene effundens vitam, ni fata reſiſtant;
Inde ferus nimium Pluto ſic farier orſus.
Quid prohibet duris cohiberi colla catenis,
Quis vinctam in tenebras detrudi te neget imas
Improba Tiſiphone, Regi petulantius auſa
Inſultare tuo? ſic conſolaris egentem
Conſilij, diraſq. prementem pectore curas?
Si facilis manat rabido diſcordia ab ore;
Hanc fere non inter fratres; Incognita nobis
Quod fuerint ventura, nouum fortaſſe videri
Id quaat, iniuſta vetuit quòd ſemper Olympi
Regnator lege? at meritas iam pendere pœnas
Te decet. Hic ſubito cuncti accurrere furentis
Vt rabiem placent ſocij, mæſtamq. ſororem
Exanimemq. leuent, reddantq́ in priſtina vires.
Ut ſedata autem paulùm fuit ira, furorq.
Regis, & is ſolio rurſum componitur alto,
Conſedere ſuis actutum ſedibus omnes.
Tum ſurgens intempeſta ſata Nocte Megæra,
Cui, poſtquam Alecto furiarum maxima fari
Non audet deiecta animo, haud fœliciter actam

Scalenſem ob pugnam: poſtquam ſoror altera dixit,
Tertius obtigerat, fandi locus, incipit ore.
Quod Regi inſultans nimium ſoror impia mites
Arguerit leges? illi ſi crimen id ipſum
Obijcitur merito? cur ferro cominus hoſtem
Ipſa ferum haud petijt, poſtquam iam nulla trahendi
Crudelem ſuberat ſpes noſtra ad vota Tyrannum?
Se gerere immitem Inſubra iam cœperat Vrbe;
Cum ſacram antiqua ſub Religione cateruam
Degentem cineris quam veſtis tincta colore
Contegit, & renes funis precinctus honeſtat
Turbare aggreſſus, veteresq. euertere ritus,
Atque ligare nouis inuitos legibus audax,
Tunc odio ſacra terribili ſuccenſa iuuentus
Armanda haud fuerat nodoſis fuſtibus. At quid
Præteritos iuuat errores memorare? quod inſtat
Nunc agite ò Rex, ò Comites attendite, agendum.
Fixa manet Regis meritò ſententia, iniquum
Mulctare, informiq. reum proſternere letho,
Id præſtare mihi non magnum opus eſſe putarim,
Rex noſtris tantum votis pius annuat, & vos
Aſſenſu firmate omnes mea dicta ſecundo,
Vtque animis ſedeat caſus ſpes certa futuri,
Conſilij noſtri rationem aduertite paucis.
Non hoſtem aggredier ferro, vel cuſpide acuta
Eſt animus, ſed tormento, quod reperit olim,

Cum

Cum germana ſitim cuperet ſaturare cruoris
Humani ardentem, inſolitisq; accenderet ira
Atque odijs populos in triſtia bella furentes;
Id contra, vt noſtis, nihil eſt obſiſtere, fratres,
Quod ualeat, non æs, ferrum, aut duriſſima cautes,
Hoc armata petam haud magna ſtipata cohorte
Ipſa inuictum hoſtem, tamq; impenetrabile pectus
Credite transfixum, ſi quid promittere fas eſt.
  Eſt opportuni mihi cognita temporis hora,
Qua ferus ille preces inimico fundit ab ore,
Quotquot eunt luces, domino terræq. polique,
Namq. abeunte die, vt primas nox atra tenebras
Diffundit terris, ſubito is cum gente ſequaci
Aedem ſecretam ingreditur, genibuſq. reflexis
Ad crucis infandæ ſignum procumbit, & inter
Orandum tibi Rex, nobiſq; extrema precatur,
Impia uota ſimul renouat, ſimul atque repoſcit
Numina cælicolum, ut crudelia cœpta ſecundent;
His dum ille orabit faciem conuerſus ad aram
Corporeque abſtractus, tota petet æthera mente,
Nil ſimile expectans lethalem improuidus ictum
Excipiet tergo, uitamq. effundet in auras.
  Nec plura effata, applaudit gens tota Megeræ,
Dicta eademq; probant omnes uno ore frementes
Firmatur tum eadem nutu ſententia Regis,
Atque ait, ò requies, & ſpes mea nata, ſub imis.

Quam

Quam mihi nox coniux chariſsima protulit vmbris
Tergemino partu, magno ſed ſola parente
Digna, duas haud degeneres imitata ſorores,
I precor, auſpicÿs lætis, & tolle ſuperbi
Euerſorem Erebi dirum, inſigniq́ triumpho
Aucta redi; ſolam te gloria tanta moratur.
Sic fatus charæ libauit triſtia natæ
Oſcula, tabificumq́ infudit in ora venenum
At ſimul impliciti ſinuoſis orbibus angues
Hinc, atque hinc ſpiris coire ingentibus, & vix
Diſiungi tetras datur ora vomentia flammas.
Ocyor illa atras pennis delapſa per vmbras
Ad Phlegetontei lethalem fluminis vndam
Fertur, & exeſa innumeris petit antra caminis,
Antra, vbi continuo fabricantur tela labore
Vulnifica, & certis crudele minantia lethum
Ictibus, has illinc quæ tranſmittantur in oras,
Queis rabidas armata manus gens impia paſsim
Corpora transfigens animas dimittat ad orcum,
Tela venenatis intincta paludibus arte
Ne vitari vlla queat immedicabile vulnus.
Illic uaſta etenim conflari ex ære liquato
Tormenta aſpicias, & tanti ponderis, ægre
Vt trahere illa queant lecti iuga dena iuuenci,
Suſtentata rotis quamuis, incluſaq́ duris
Aſſeribus, quibus haud triplici circundata muro

Villa

Valla diu, aut poſſunt obſiſtere mœnia magnis
Aggeribus ſepta, aut firmiſsima propugnacla;
Quicquid & obiectum fuerit, cum maxima ferri
Exiliens pila ab ære cauo ui pulueris acta
Sulfurei, & ſubitæ flammæ, fugit omnia dirè
Diſcerpens, ſternensq. agitur quacunque fragore
Terribili, haud aliter, quam cum ruit æthere ſummo
Fulmen, & iratus tonat alto Iupiter axe;
Tiſiphones ſæuæ inuentum, cum fulmina ab arce
Aetherea tantum, atque hominum terrentia corda
Fulgura, & horrificos tonitrus exire doleret
Inuida, & infernas uellet maleſana ſupernis
Viribus, & Ditem ſummo conferre Tonanti.
Innumera id genus, at longè tormenta minora
Solliciti ex foro pergunt fabricare miniſtri,
Queis globus incluſus cum ſulphure plumbeus, igne
Concepto, tanta ui erumpit, & impetu tanto,
Multiplices clypeos ut, loricasq; trilices
Perforet, & quicquid iam pectora tuta ſolebat
A iaculis, gladijs, & telis reddere acutis,
His conferta acies armatæ, haud comminus atra
Prælia committunt, plumbi læthalis in hoſtem
Spargentes globulos tanta cum ſtrage uirorum,
Quantam inter teneras herbas, ſegeteſq. uirentes
Edere dira ſolet grando ſub tempore meſsis,
Cum tonitru horrifico permixta, & fulgure multo

Denſa

Denſa pluit, miſereq́ agros populatur, & omnem
Lugenti agricolæ frugum ſpem reddit inanem.
Baliſta his etiam manibus formatur ad oras
Quæ ſuperas tranſlata, heu quot proſtrauit acerba
Cæde viros, quanquam breuiore armata ſagitta?
Clauditur hæc pugno, capuloq. attingit ad vlnam.
Laxata ad palma fugit irreparabile telum
Ex chalybe, & ferro mixtum, ſic tenue, & acutum
Vt quæuis lorica latus defendere ab ictu
Tergaq. læthifero nequeant, dum comminus hoſtis
Clam petitur media in turba, procumbit humique
Extinctus, ſpargitq. madentem ſanguine terram.
Sic nullo auditu ferientis murmure teli,
Siue dato ſigno, vt uotis potiatur iniquis
Incolumisq. abeat ſcelerati criminis author
Ante celer, quam corpus humi cernatur ab vllo
Proſtratum, atque ideò quod bello haud utilis unquàm,
Priuatis ſed tantum odijs eſt apta reperta;
Infandi vetitus teli fuit vſus ab omni
Gente, nec id licitum nunc aſſeruarier uſquam.
Sic uario intenti ſtudio indefeſſa vacabat
Gens operi tum quisq. ſuo, cum triſtis Erynnis
Inuiſit ſtygios fabros, inſurgerèque omnes
Præcipit. Eia agite ô ſocij, tutiſsima Regni
Præſidia inferni, ſpes, inquit, maxima cæptum
Intermittite opus, noſtriſq; incumbite uotis.

Arma

Arma hodie facienda ferum quæ vulnere certo
Proſternant hoſtem, quo non infeſtior alter
Tartareæ eſt genti ſuperis inuentus in oris,
Et quia pectus habet nullo penetrabile ferro
Veſtro nunc ſtudio, veſtris nunc viribus, arteq.
Vtendum, tormento opus eſt, quod fulminis inſtar
Docti eſtis fabricare, manus tractare quod apte
Vna queat, cui non reſtis ſuccenſa miniſtret,
Sed prædura ſilex, ignem, ſit vt aptius hoſtem
Concluſumq; domo, famulorumq; agmine ſæptum
Clam petere, & quia promiſſos quandoq; negare
Conſueuere ictus, poſco id mihi rite parari
Arte nouum, ſtudioq. omni, ne forte madentis
Sulfuris, aut ſilicis, culpaue foraminis vlla,
Aut ratione alia fallax reddatur, & omnes
Spes ſtygis eludat; ſtudiumq. & vota Megeræ.
Vix ea fata, omnes opus ad fabrile repente
Prompti accinguntur, certantq; faceſſere Erynnis
Impia iuſſa, focum cumulant carbonibus illi;
Hi capiunt redduntq; alternis follibus auras,
Pars ferri verſant candentem forcipe maſſam
Sublatam ex igne, atque iteratis ictibus, alta
Percutiunt incude ſuper, dum lamina fiat
Sex digitos lata, atq; pedem longa, haud minus, vnum,
Hinc ferri teretem virgam digitoq; minorem
Circundant lamina gelidam candente, ſuperque

Ingeminant ictus, coëunt latera vtraq; in vnum.
Et ferro e leui ſcapus formatur inanis,
Vix binos craſſus digitos, vnumque pedem vix
Longus, at arboreæ plantæ ſic inſtar, vt ima
Craſſa magis paulò reddatur parte ſuprema:
Stridentem inde lacu tingunt, quem ductus ab amne
Contiguo riuus facit, antraque circuit vſtis.
In varios, pergunt tum ſcapi æquare terebra
Interiora caput, cochlea mox, clauditur apta
Craſſum, exiguumq; à dextra parte foramen
Additur, ad ſcapi, cochleæ qua finis, inane.
Aſt alij ex corili carbonem reddere virgis
Intenti, adijciunt hi partem ſulphuris, illi
Factitium nitrum, naſci quod pariete opaco,
Humentique, velut lanugo cernitur alba.
Pars ea commiſcent in pilas indita ahenas
Atque ſimul pinſunt, donec tenuiſſima reddant,
Acri prætereà ſpargentes omnia aceto,
Diſpandunt lentum, donec ſiccentur ad ignem;
Ignem, ſolis enim radios non aſpicit Orcus
Puluis ita efficitur, quem vix ad mota repente
Corripit, & dicto citius vorat atra fauilla.
Littora pars Stygij ad fluuij ſaxoſa lapillos
Colligere eſt intenta, quibus vigor igneus inſit,
Vnus at ex multis legitur, qui certa latentis
Semina det flammæ rigida colliſus ab ære.

Parte alia miro confecta labore paratur
Parua rota ex chalybe, & ſub acutis orbibus, hæc dum
In girum reuoluta breuem laxatur; & illi
Hæret lecta ſilex magna vi admota repente
Abſtruſæ dira excutiuntur ſemina flammæ;
Vnde rota ſuper infuſus tenuiſsimus; & quem
Paruula concha capit, puluis cito concipit ignem,
Conceptoq; leues celer exardeſcit in auras.

Pars nucis ex ligno, quod perpolit aſcia, capſam
arte laboratam multa parat ocyus, & iam
Perfectum ſcapumque, rotamque accommodat illi,
Sic tamen vt ſcapi quod dextra a parte foramen
Adiacet exiguum, pertingat conchula, ſicque
Coniuncta aptantur ſimul omnia firmiter, ac ſi
Compoſita haud eſſent iam corpora plura, ſed vnum.
Tum verò, ſcapi vacuum quà compleat orbem
Profertur pilula ex plumbo conſlata nigranti
Exiguis cum taxillis liuentis in unda
Vtraque tincta lacus, diro, & perfuſa ueneno
Vulnera, ut impingant ſubitæ prænuntia mortis,
Multiplicique hoſtem proſternant certius ictu.

His ita perfectis furioſæ ante ora Megeræ
Craſsior in partes ſcapi detruditur imas
Sulphureus puluis, plumbi glans inde parata,
Taxillique ſuper tres contruduntur eodem,
Tenditur inde rota, & puluis tenuiſsimus illi

Deſuper infuſus concham replet vndiq; clauſus,
Sic tamen, vt facile exiguum penetrare foramen,
Et valeat, ſcapi quod in ima parte repoſtum eſt,
Sulfuris accenſus pertingere ſemina, & ignis
Vi ſubito glandem, & taxillos pellere plumbi.
Hic operum, fabrumq; ferus Præfectus aduncis
Accipiens manibus tormentum, id tradit Erynni
Cunctanti, diroq; hæc inſuper addidit ore.
O gentis decus infernæ, ſpes vnica Ditis,
Cui ſtygij ſumma eſt regni commiſſa cadentis,
Accipe tormentum rite ad tua vota paratum,
Omnibus & numeris perfectum, hoc dirige in hoſtem,
Quemcunq. haud dubio cupias proſternere lecto,
Certa fore, vt nequeat lethale repellere plumbum
Aëre grauis thorax, ferro aut lorica rigenti
Intexta, aut quicquid queat ars humana parare,
Pectora vt in bello à telis tueatur acutis.
Hanc tantum ſilicem, quam ferrea virgula clauſam
Diſſecto ſtringit capite inclinare memento,
Tum digito laxare Rotam cum venerit hora
Qua iuuet inuiſa curſum interrumpere vitæ.
I fælix, & læta redi, votiſque potire,
Siſq; memor noſtri, tibi cum victoria parta
Iam fuerit, magnoque redibis clara triumpho.
Dixit, at illa moræ impatiens, ſat docta nefanda
Inſtrumenta manu tractare, & certius ictus

Dirigere horrificos, paucis reſpondit, & inquit.
Sic votis fortuna meis aſpiret, vt ipſe
Cum ſocijs ſemper gratam experiere Megaram.
Sic ait, accepitque manu lætiſsima dona,
Immaneſque atris humeros accommodat alis,
Et Phlegetontis aquas, atque antra profunda relinquens
Exurgit, ſocijs tantum comitata duobus,
Quos præ alijs fidos numero ſe legit ab omni,
Et longam molita viam celer acta cauernas
Exuperat terræ obſcuras, ſtygiamque paludem,
Et tandem cæli optatas emergit in auras.

IO. FRANCISCI BONHOMII

CREMONEN. BORROMEIDOS.

Liber III.

INTEREA croceum ſurgens Aurora cubile
Liquerat, humentique vmbras arcebat opacas
Aethere, venturæ prænuncia proxima lucis:
Cum ſubitum aduentum furialis ſenſit Erynnis,
Conſiliumque atrox, cœlo puer aliger olim
Demiſſus, teneris cui Borromeus ab annis
Creditus eſt, ſummi nutu Rectoris, vt illum
Et quando exoritur ſol, & quando occidit, & cum
Altior exurit terram, & cum Cinthia curſum
Noctis agit medium, ſemper tueatur, & illi
Aſſiſtat fidus cuncto in diſcrimine cuſtos,
Dum reget infuſus mortales ſpiritus artus.
Sollicitus nec enim charum confidit alumnum
Viribus ipſe ſuis defendere poſſe pericla
Summa timens, & plumbi formidabilis ictum,
Ardet adire Ducem Comitum ſacræque phalangis,
Cui cura Inſubræ eſt regionis credita firmum
Quærat vt auxilium, commiſſum at linquere pignus

Non audet memor iniuncti ſibi muneris: Ergo
Vt primum Antiſtes ſacra matutinus ad aram
Liba offert, primam lucis de more ſub horam
Cum Deus ipſe gerens humanum corpus, ab alto
Deſcendit cælo Cereriſque, & dona Liæi
Oblata in proprios artus, & ſanguinis vndam
Tranſmutat veri; & Princeps conuenit, & omnes
Aligeri comites, diuinum vt numen adorent,
Ipſe Ducem aggreditur prior, & ſic increpat vltro:
Cæleſtis Dux militiæ fidiſsime cuſtos
Inſubrum, quid tanta manet fiducia rerum?
Quæue quies animo reſidet? cum præſul, ad aras
Quem nunc incolumem cernis, quem moribus iſtos
Rite informantem populos, & legibus almis
Miratus ſæpe es, iam iam effuſurus in auras
Sit vitam innocuam, & letho mulctandus acerbo?
Tum breuiter rem pandit, & impia vota Megeræ,
Eia age, ſubdit, opem ſuperam implorare neceſſe;
Rumpe moras, aliſq. poli ſumma ocyor aura
Culmina tranſcende, & ſubito rem defer ad aulæ
Totius ætheræ dominam, matremq. Tonantis.
Illa etenim miro, vt ſemper dilexit amore,
Et pietate virum, gratiſq. accepit honores
Luminibus, quos præcipuos ſibi ſenſit ab illo
Perſolui ſic nunc tanto in diſcrimine vitæ
Ire indefenſum fidum, haud patietur alumnum.

Sic

Sic ait, & lateri coniunctus adhæret amato
Multa timens; Aſt ille citis per nubila pennis,
Fertur, & æthereo tandem conſiſtit in orbe.
Inde nouem ſociorum acies ſuper euolat, ipſam
Reginamque petit ſublimi in ſede locatam,
Solis fulgentem radijs, & tempora circum
Sidereis cinctam ſertis, pedibuſque bicornem
Calcantem nitidis lunam, poſt oſcula plantis
Fixa ſacris tales roſeo dedit ore loquelas.
Virginei decus o cœtus, ſummique parentis
Gnata, parenſq., & ſponſa eadem caſtiſsima, cæli
Et noſtri Regina chori; generiſque patrona
Perpetua humani, cuius pia vota nequiuit
Nunquam exaudire omnipotens Regnator Olympi,
Aſpice quanta tuis clades Inſubribus inſtet,
Qui tibi præcipuos ſtudioſi impendere honores,
Templum ingens pergunt parijs ſublime columnis
Conſtruere, in toto quo non inſignius orbe
Eſt aliud, ſummo prope culmine ſydera tangens;
Quid tot enim memorem templa inſurgentia cælo,
Innumeraſq. tuo erectas ſub nomine ſacras
Aedes? quidue pijs pendentia vota tabellis?
Si gens illecebris fuit olim dedita, luxu
Et nimio, quid nam mirum? cum fertilis agri
Vbertas illi, rerumq. haud ulla deeſſet
Copia, temperieſque æqui gratiſsima cæli;

Corporis

Corporis inſignes dotes, animique ſubeſſent,
Moribus haud duris inſtructa, nec foret vllus,
Qui captis ſpecioſa oculis ſub imagine recti
Ore, vel exemplo abductas arcere tenebras
Curaret, rectumue erranti oſtendere callem?
At culpa detenta graui ſi longius æquo
Gens male ſueta tuos oculos, & numina gnati
Magna tui offendit, tandem reſpicere cœpit,
Contractasque pijs cupiens detergere labes
Fletibus, errores ſtudet emendare vetuſtos,
Mutata in melius, poſtquam Paſtoris amicos
Agnouit ſacri vultus, monituſque ſalubres
Accepit, tua quem flagrans conceſſit habendum
Cura, etenim qualem nec gens habet vlla, nec vſquam
Aſpicit exoriens ſol, occiduuſue, ſub illo
Iam duce profecit tantum, vt veſtigia quiſquam
Corruptæ vix priſca queat dignoſcere vitæ.
Quod ſi vix primum cultæ bona ſemina terræ
Credita producunt, tanto cum fœnore fructus,
Quid ſperare ſuo poſſimus tempore, meſſis
Cum fuerit matura, putris cum vomere gleba
Verſa erit, & ſemen radices egerit, idem
Excolere, & cultor non deſinet arua labore
Quo cœpit, ſtudiaque vide, Regina, tuoque
Deuotum cultu populum, ne deſere, cui iam
Atroces nimis inſidias ſtruit impia Erynnis.

Nuper ab infernæ gentis tranſmiſſa Tyranno
Horrenti telo, iuſsiſq; armata nefandis,
Sanctum improuiſo vt Paſtorem funere mergat,
Aureaque innocuæ ſuccidat ſtamina vitæ,
Et ſimul extincto incautos cuſtode reducat,
Erranteſque greges dumeta per inuia recto
Calle procul, pingueſque repleti ſentibus agri
Sublato haud reddant fructus cultore, trahatur
Et miſera antiquis gens circumſepta tenebris
In ſua damna ruens æternæ obnoxia morti.
Ergo laboranti populo ſuccurre, nefandam
Peſtem auerte, tuoque fidelem protege gentem
Auxilio, nanque vna potes lenire furorem
Auerſi nati placidamq; inducere mentem.
Dixit & innumera comitum accurrere phalanges
Impubium, precibuſque preces, & vota precantis
Accumulant votis. Pia tum Regina ſupremum
Ad Regem conuerſa oculos demiſſa pudicos,
Et roſeas pallente genas ſuffuſa colore
Bis genitum natum mæſto ſic ore precatur.
Rex æterne poli, triſtiſque euerſor Auerni,
Tradita cui ſumma eſt cælo, terraque poteſtas,
Sanguine quiq; tuo voluiſti abſtergere priſcas
Humani generis labes, nec non nece dira
Commutare hominum vitam, nunc ira furorq;
Longius abſcedant, & fons uberrimus almas

Emittat

Emittat pietatis aquas, dum mille meorum
Punire Inſubrum iuſtus vis crimina Iudex.
Nate per has ego te lachrymas quas largius olim
Hi fudere oculi, extinctum cum funere acerbo
Te ligno ſuper infando aſpexere, per aluum
Hanc oro, quæ te in nouum geſtauit, & aluit
Menſem; per latus id, quod adhuc oſtendis apertum
Obteſtor, ſi te matris valuere precantis
Vota mouere unquam, populi miſerere cadentis,
Qui manuum tamen eſt opus, idque inſigne tuarum.
An coluber tantum ille nefas audebit in ima
Tartara detruſus quondam, caput atque ſuperbum
Contritus toties, te permittente? necabit
Paſtorem inſontem, tibi dum proſtratus ad aram
Corde preces tacito caſtas effundit? ubi iam
(Conditio infelix hominum) conſiſtere tutus
Quis poterit rapidi ſæuis à fraudibus hoſtis?
Non ego longæuos in terris deprecor annos,
Illi, qui cæli multo felicius alti
Succedet tectis, cui non iucundius unquam,
Gratius aut quicquam poterit contingere, uitam
Quam finire breuem, plenamque labore ſed ingens
Exitium miſeræ cordi eſt auertere genti:
Hæc inter figens traiectis oſcula plantis
Aſpergit largo radiantia uulnera fletu,
Inde pedes vitidis ſtringens utroſque lacertis,

Non diſcedam, ait, hinc nec te dulciſsime Nate
Dimittam ſacroſue pedes non ante reſoluam;
Sedatos quam cernam oculos, frontemque ſerenam
Et placidus firmes nutu mea vota ſecundo.
Tum ſubito aligerum puerorum exercitus omnis
Vna voce polum, & miris concentibus implent
Clamantes. Reginam audi pater alme precantem,
Et populo iam parce tuo furor abſit, & ira
Iam populo fons o pietatis parce ruenti;
Deletus nec enim meritas voluentibus annis,
Sed bene ſeruatus poterit tibi dicere laudes.
Haud aliter, quam cum poſt ſæua tonitrua, nymbos
Denſatoſque ſimul pluuiaque, & grandine onuſtos,
Inſperata oritur nautis grati aura fauonij
Deiectis, totoque fugantur nubila cœlo
Aequore conſidunt fluctus, ventique furentes
Abſcedunt radioſque reducit pulcher Apollo
Optatos, cuncta, & rident mutata repente;
Sic hominum pater omnipotens Rex, atque Polorum
Protinus, & placidos oculos, & reddidit ora
Tranquilla, atque furor procul omnis, & ira receſsit
Nec paſſus charam vlterius iacuiſſe parentem
Subleuat, & dictis illam ſolatur amicis.
O inter natas hominum formoſior omnes
Alma parens, cui æternos deuouit amores
Ante pater ſummus, quam vaſtum conderet orbem,

Quàm

Quam cælum, terramq. & diſcerneret aëra, & undas,
O genitrix dilecta tuæ bene conſcia formæ,
Et uirtutis apud Natum, æternumque parentem,
Quid tibi, quid notiſq. tuis, precibusue negari
Iam ualet? o mira ſpecie, & pietate decora,
Fiat, ut optaſti, incolumis ſeruetur in annos
Multos Inſubrum Antiſtes bonus ille tuorum;
Ingrati quamuis ipſi haud meruere potiri
Longius aſpectu fidi cuſtodis, amicis
Si manibus renuunt ſanari uulnera, morbosque,
Et fidos temnunt monitus, legeſque ſalubres,
Si patris ueneranda mei præcepta docentem
Aſſidua cura, ſtudioq. audire recuſant,
Si plerique odijs illum ſectantur iniquis;
Et perdi infantem, cupiuntq. uoluntq. quid? auſi
Non ne etiam inſidias ſtruere, atque infanda parare
Duris nunc ſudibus, diro nunc funera ferro?
Dum mea ſollicitus mandata faceſſere pergit?
Infectumque gregem obductis curare laborat
Sordibus, & priſcos populis inducere mores?
Hic natum Virgo ulterius procedere dictis
Haud paſſa. Ah quid nũ fraudes adſcribere, culpamq;
Antiqui iuuat hoſtis? ait; non ne ille profundo
Tranſmittit barathro furias, quæ pectora gentis
Incautæ inficerent, & dura in prælia dextras
Armarent? ſed quid? tanta inter millia pauci

Num

Num toti exitium populo crudele parabunt?
Natus ad hæc. potuere quidem tentare, maloſque
Tartareæ peſtis animis inducere motus,
Sed non inuitos potuerunt, cogere, vt ipſa
Scis prudens virgo. ſed tandem, quod petiiſti,
Concedo, charuſq; tibi ſeruetur alumnus.
Dira quidem Inſubrũ nũc ſæuit Erynnis in Vrbe, &
Conceptum peraget facinus, plumboq; nefando
Terga occulta petet Paſtoris; at inde ſequetur
Nullum illi damnum, nullum illi vulnus; abibit
Incolumis reus haud hominum tum cognitus vlli,
Anteq; luna orbes complebit menſtrua ternos;
Quam tanti inditium ſceleris pandatur, & author.
Interea varij, & leuiores vndique ſurgent
Rumores; hominum circumque per hora ferentur;
Haud humana etenim comprehendere mente licebit,
Vt ſimplex tenuiq; ex lino, inteſtus amictus
Certius a diro incautum defenderit ictu,
Quam ſi lorica, aut thorax ex ære fuiſſet.
At nutu tandem noſtro ſcelus omne patebit
(Ire nefas nec enim tantum patiemur inultum
Aut inſigne viri cæcas decus ire ſub vmbras)
Seruatumq; manu crudeli a funere noſtra
Agnoſcet Borromæum gens omnis, & illum
Suſpiciet, magnoſque illi perſoluet honores;
Clara viri totum volitabit fama per orbem.

Ille

Ille tuos placida populos in pace gubernet
Securus, puriſque informet moribus, ipſique
Haud poſt hac infenſi odijs agitentur iniquis.
Quid craſſante etiam vaſtatam peſte per Vrbem
Non aget Antiſtes? quid non tentabit? vt vllus
Ne pereat, cui non cœleſtis pabula vitæ
Exhibita aut neglecta ſalus ſit corporis? omnes
Intrepidus lue contactos, & iam morituros
Non ſemel inuiſet, ſed ſæpius ipſe reuiſet
Et verbis largaq; manu ſolabitur ægros,
Tabida nec detrectabit contingere membra,
Sacra, vbi non adſit, qui myſtica rite miniſtret;
Vt vitæ ſimul eſſe, & opum noſcatur ouile
Prodigus in charum; Inuidiam ſic vincet; & illi
Sic demum imponet ſancto alta ſilentia amori,
Aſt vbi luſtra tuis prope quinque Inſubribus ille
Præfuerit ſextumq; Patres ad ſancta vocarit
Concilia, ut propriam turbam inde frequentius, vt qua
Sit ratione potis certas patremq; colendi
Dilectasq; regendi animas, præſcribere leges
Vnicuique ſuas, non prætermittat; & alte
Religionem animis ſacræ gentisq; profanæ
Sic figat memori vt labatur pectore nunquam,
Tum pius erga alios, mitiſque euadet in ipſum
Se uero auſterus cœleſtem, ut degere uitam
Mortales inter uideatur ab omnibus unus.

Sed

Sed cum tempus erit mortali vt mole relicta
Sydeream tellure ima tollatur in aulam,
Preſagus quaſi venturi ſecedet Heremum,
In ſanctam, ſolitoque ardentius in mea vitæ
Geſta, crucem, plagas, clauos, & vulnera, mortem,
Atque ſepulchrum oculos figet, noctesque, dieſque
Inſomnes ducet, meditans, & terga flagellis
Cedens vſque nouis, lachrymiſque effundet habenas
Vix cerere, & lymphis ieiunia longa leuabit
Inde leui febre correptus, rate vectus in vrbem,
Bis denas vbi ferme horas decumbere viſus,
Meque meumq. ſepulchrum inhians, ſacriſq. refectus.
Vt ſi quem placido ſopitum membra ſopore
Interdum videas oculos clauſiſſe ſerenos,
Purgatam etherias animam exhalabit in auras,
Hinc aulæ plauſus noſtræ, populo ſimul dolor ingens,
Atque ſacerdotum cœtu, tunc mœſta per Vrbem
Turba errans gemitu nocturna ſilentia rumpet,
Improuiſum adeo ob caſum, amiſſumque parentem,
Paſtoremq. ducemq. & amatum ob lumen ademptum,
Iacturam mox Roma grauem gemet, & gemet orbis
Indignus iubare hoc: patris hæc eſt certa voluntas.
Sic ait, & nitidis amplexus colla lacertis
Oſcula, dilectæ libauit caſta parenti
Diuinumque flagrans oculis ſpirauit amorem.
Lætitia fremit hic mira polus omnis, & vno

Ore canens ſacros cœleſtis Curia laudes,
Reginæ, Regique applaudunt, & ſimul omnes
Aetherei cœtus circum plaudentibus alis
Ingeminant dulces uarijs concentibus hymnos.
Tum Rex ipſe uocat, lectis ex millibus unum
Ductores inter parent quibus agmina gentis
Aligeræ inſignem virtute, fideque probatum,
Demittitque polo properantem, & talia mandat.
I celer, & comitum fidam tibi ſume phalangem,
Inſubrumque Vrbem rapidis adlabere pennis
In regione caput ſitque vnica cura tueri
Paſtorem ſacrum populus cui creditus ille eſt,
Hoſtis ab Inferni inſidijs comitumque ſuorum,
Vince dolos, vireſque omnes, illumque potenti
Incolumem dextra (nanq. eſt ſine crimine) ſerua.
Vix ea fatus erat ſuperi Rex magnus Olympi,
Ocyor ille agmen ſociorum cogit, & alto
Delapſus cœlo celeri ſecat æthera penna.
Qualis ubi alta petens Aquila, inter nubila quæ iã
Condiderat caput, impaſtoque exercita roſtro,
Vt ſtagni aſpexit ſurgentem littore prædam,
Aethereo dicto citius deſcendit ab axe,
Haud ſecus Aligerum Ductor rapidiſsimus Vrbem
Iuſſam adit, innumeraque illum comitante cohorte
Summa petit primo ingentis faſtigia templi,
Inde duos comitum ſecretam mittit in ædem,

Paſtor vbi inſignis, poſtquam ſacra rite peregit,
Fundebat ſolitas caſto proſtratus ad aram
Ore preces, ſextam, & lucis pſallebat in horam.
Illi adeunt ſocium cuſtodem multa timentem,
Sollicitoq; metu ſeruantem pignus amatum,
Præcipiuntq; bono eſſe animo, nanq. omnia tuta,
Teſtanturque manum cælo aduenisse potentem;
Inde locum luſtrant oculis, ſpeculantur & ædem,
Atque Duci, & ſocij abeuntes omnia pandunt.
Vt primum ſuperas euaſit Erynnis in oras,
Inſubrumq; vrbis petijt noua mœnia, paulum,
Queis primo adueniens tectis conſideret anceps,
Quasue domos peteret, vel quæ magis apta nefando
Corda forent ſceleri, tandem ſe in nota recepit,
Quæ recolunt Humiles cognomine, ſepta, ſodales
Veſtibus induti niueis, ſanctamque profeſſi
Religionem. At cum priſcos corrumpere mores
Cæpiſſent plerique, ſacroſq; effundere luxu
Prouentus nimio, quicquam amplius haud retinentes,
Præterquam veſtes, & nomina laudis auitæ,
Priſcorum immemores patrum, propriæq; ſalutis,
Et nigri infauſtis addicti legibus orci.
Hos pius Antiſtes, bonus vt moderator, & is, qui
Ipſorum patrocinium ſuſceperat olim,
Longius haud paſſus maletutum errare per æquor,
Ancipitemq; viam miſeros, ad littora portus

Aſsiduo ſtudio bene tuta reducere curat;
Antiquas reuocans leges, patrumq́; piorum
Exempla ante oculos ponens imitanda. Sed illi
Obdurati animis magis, & furijs magis acti
Præſcripta non poſſe via deflectere lugent,
Præcipere atque alijs ſoliti parere recuſant
Hunc iuſsis, nutuque aliorum degere vitam.
Et poſtquam laxa eſt ſublata licentia, corde
Anguntur miſero; atque putant ſibi viuere acerbum.
Id propter ſi qua potis eſt ratione moleſtum
Detrectare iugum, & grauibus ſe exſoluere curis,
Nil intentatum ſceleris, vel fraudis ab ipſis
Linquetur modo reſtitui quandoque priori
Spes ſubſit vitæ, & tantos finire labores.
Sic indignatos animos, iraq; tumentes
Concepta, magis aſcendit furibunda Megera,
Et bibula infundit rabidum per pectora virus,
Viſceribusq; feros infectis inijcit angues,
Illi tabifico inficiunt præcordia morſu,
Et percuſſa replent inſano corda furore.
Tum vero haud aliter, quam cum trieterica Baccho
Quæ celebrant matres paſsim intonſæq. puellæ,
Per medias Vrbes, & per nemora inuia aguntur,
Et ſine lege canunt quicquid furor ore miniſtrat,
Sic ſpacioſa Humiles nunc iam per ſepta ſodales
Capti animis, nunc conſeptos agitantur in hortos,

H 2 Con-

Conſilia, & diuerſa ineunt vt ponere tandem
Tot liceat curas, tantiſque euadere damnis.
Ac demũ unanimes ſtatuunt rabido ore, fremuntq;
Spem nullam placita miſeris ſupereſſe quietis,
Impius ereptor vitalem dum trahet auram;
Nam licet Antiſtes ſummus ſanciuerit omne,
Præſcriptum quod lege fuit, tamen ipſe dediſset
Aures iam faciles duriſsima iuſſa remittens,
Ni ferus ille haud iam moderator, at improbus hoſtis,
Tigre magis ſæuus rabida, pietatis, & omnis
Expers, Pontificis placidis ſe opponeret vltro
Conſilijs, legeſque æternum, vellet iniquas
Perdurare ſemel, quas ipſe probarit, vt vnquam
Nulla ſuum leuior notet inconſtantia nomen;
Ac ſi ipſe æternus, ſiue immutabilis eſſet
Conſilij, & vetitum prudenti flectere mentem.
Nec tamen arma manu geſtare, aut fortia tela
Torquere ipſi audent, haud ſueti in prælia tantum
Omnibus illum optant votis excedere vita;
Prompti etiam ſi forte illum quis perdere ferro
Audeat, aſſenſum præſtare, & clam quoque ferre
Auxilij quantum valeant. Hinc triſtis Erynnis
Exquirit, qui dira manu tractare nefanda
Arma ſciat, facilisq; ſit atrum haurire venenum.
Haud procul hinc aberat quidam, ſcelus e grege ſacro
Qui fuerat, ſed poſt commiſſum crimen auarus

Fugerat aſportans argentea vaſa, parente
Quis geniti ſummo corpus cum numine ſacrum
Seruari mos eſt, niuea ſub imagine frugis:
Et ſignum argento perfectum, quo pius alte
Pendens morte ſua noſtram mortem abſtulit herus,
Quo tantum uiſo tremere, & tremefacta fugari
Infernæ ſexcenta ſolent procul agmina gentis;
Illum igitur ſacris exutum ueſtibus, & iam
Extra ſepta uagis iactatum ſedibus, actum
Pauperie, & peſti deuotum immanis Erynnis
Aggreditur, tædamq. iacit ſub pectoris ima
Fumantem, infundit uiruſq. per oſſa, medullas
Inficit, & totum tacitoq. hæc ſuggerit ore.
Quæ miſero tandem remanet ſpes? omnia quando
Perdita? Præfecti non aſpirare cupito
Amplius officio permiſſum eſt, exul ab omni
Longe ageris cœtu, tua ſic iam cognita furta;
Ut ſimul ac prenſus fueris trabe nexus ab alta
Colla miſer fune infanda pereas nece pendens;
Cur non audendum magis? atque inſigne patrandum
Eſt facinus, quo nullo vnquam tua fama ſub umbras
Tempore eat? quamuis factum mors ipſa ſequatur?
Aude acer, comitum tantas ulciſcere clades
Exitiumque tuum, quorum fons ille, caputq.
Scilicet egregius ueſter Protector inultus
Ergo mali tanti cauſa, & ferus author abibit?

Quid prohibet facinus? quo iam correpta timore
Nutant corda leui? lethalis an eminus ictu
Tormenti petere imbellem; nil tale timentem
Magnum erit? incolumem nulloque ſequente reuerti?
Nulli illum: praeunt armati ſtipat inermis,
Turba hominem tantum, & toga ſemiuiri comitatus
Exul eris, quid tum? externas procul exul adibis
Ignotus ſedes, at præmia magna ſodales,
Haud dubita, impendent tibi libertatis auitæ
Donatori omnes grati, memoresque ſalutis
Semper erunt accepta, aderunt tibi ſemper, & omne
Paupertatis onus prompte, largeq. leuabunt.
Hæc effata virum haud luctantem immania contra
Conſilia inuadit paulatim; infectaq; membra
Occupat, atque idem iam animus, mensq; una Megeræ
Fit, miſeriq; ſacrum fuerat cui nomen; at ipſa
Re ſacer, infanduſq; dehinc dicetur. Vt illa
Se firmas ſenſit poſuiſſe in pectore ſedes
Obſeſſo, & domina inuerſæ rationis in arte
Sceptra tenere furens ſæuis crudele miniſtrat
Tormentum manibus, iubet illo immanis in aureum
Tendere Paſtorem telo ſubito ille nefanda
Mente agitat ſcelus, & mortem meditatur, amicum
Tum monet, vt melius peragat rem nouerat ægre
Quem perferre nouæ ante alios iuſſa optima legis,
(Is Vercellarum fuerit Præfectus.) habere,

Quæ

Quæ referat ſe magna, & erunt quæ grata; proinde
Conueniunt Vrbis ſpacioſæ ad mœnia, gentis
Qua minor ire via numerus ſolet, atque ibi paucis
Exponit quæcunque animo conceperat ante.
Se pro communi iam libertate paratum
Egregium ad facinus, cuncta & ſubeunda pericla,
Tantum opus eſſe auro, ſubdit, quo ferre moleſtam
Pauperiem, duramq. externis poſsit in oris.
Vercellenſis agit ſociorum nomine grates,
Et ſtimulos currenti addit, ſpondetq. petitam
Summam auri, certumq. facit vnquam fore vt ipſum,
Aut Comites tanti ingratos obliuio facti
Tangat, inops aut ipſe vllo ſit tempore rerum;
Audeat, audentes nunquam fortuna relinquit;
Hinc manibus tangens pectus ſuperum agmina cuncta
Teſtaturq; ipſum cœli, terræq. parentem,
Atq. noua adiurans promiſſa prioribus addit.
Diſcedunt, ſubito ad miſeros redit ille ſodales
Infectos rabida iam peſte, & nunciat ægris
Cuncta, bonoq. animo iubet eſſe, aurumq. requirit
Iam pactum. Illi alacres ſpondent maiora, cupita
Libertas modo reddatur, ſed credere tantum
Vix audent factum, id votis licet omnibus optent.
At ſacer, infanduſq. fera coniunctus Erynni
Vir, ſcelus vt iam conceptum committere poſsit
Certius, vt primum radijs obſcura fugatis
Solis

Solis humum tegere humenti nox incipit umbra,
Secretam recipit ſeſe Paſtoris in ædem
Oranti ſimilis, fidiſq. immixtus amicis
Explorat cuncta, atque locum perluſtrat, & inter
Paſtorem inuiſum, atque fores, unde ipſe nefandum
Dirigere inſtituit telum, nihil eſſe, quod obſtet,
Aut rectum impediat plumbi irreparabilis ictum,
Orantéſq. omnes conuerſos cernit ad aram,
Sic oculis, totiſque intentos mentibus, ullus
Vt queat inſidias haud præſentire latentes.
Inde abit, inſtituitq. ſequenti nocte redire,
Perficiat dirum ut ſcelus, & tranſuerberet ictu
Lethifero inſontem nigras adigatq. ſub umbras.
Aliger at princeps haud ſegnior, omnia fidos
Per Comites, qui iam uigil explorauerat, ædem
Secretam inuiſit tota comitante phalange,
Atque ibi caſtra locat, diſponitq. omnia; at ipſe
Ex omni lectis numero cum fratribus, uni
Aſsiſtit Paſtori, unum comitatur ab ortu
Solis ad occaſum, totam noctiſq. per umbram,
Feſſaq. dum reficit uitali membra ſopore,
Dum uigilatq. preces ſeu caſto fundit ab ore,
Seu templum ingreditur, facileſue orantibus aures,
Supplicibus palmas ſeu porrigit ipſe libellis,
Aut quacunque pios ſtudet unquam tendere greſſus,
Intrepidiq. animi ſenſus mage firmat, & illi.

Cæleſte

Cæleſte inſpirat robur, ſanctaque medullas
Flamma, & diuino pectus ſuccendit amore,
Quin etiam infectis cupiens depellere peſtem
Pectoribus (ſed cuique manet ſua firma uoluntas
Libera ſic, illam ut nullus compellere poſsit,
Nec Deus omnipotens ſoleat, qui flumina, & ignem
Appoſuit) luces in multas diſtulit atri
Succenſum ſceleris, lateri nunc prouidus addens,
Nunc Comites tergo Paſtoris, ut unus ab illis
Secerni facile haud queat, aut proſternier unus
Poſsit, inauditi ſceleris nunc ante nefandos
Exponens immane oculos genus, & ſimul atrox
Supplicium, tantum maneat quod crimen, & ante
Quam miſera excedant mortali à Iudice, uita,
Et poſtquam exuerint moribundos corporis artus
Vindice ab æterno, Domino terræq. poliq.
Interea nil tale putans hæc præſul ad aram
Quæ cruce pendentem Chriſtum referebat ab alta,
Vno quoque die caſto fundebat ab ore,
Sæpius imbre etiam ex oculis permixta fluenti.
Nate Deo, cuius ſanctiſsima membra nefando
Fixa ſuper ligno aſpicio, per vulnus aperto
Inflictum lateri, quo crimina cuncta recondis
Humani generis, ſacroq. in ſanguine purgas,
Exoro, mihi pande viam, qua creditum ouile
Rite regam, cæliq́ beata ad paſcua ducam,

Hoc etiam, vt noſti, tantum precor, omnibus vnum hoc
Expoſco votis, & ni mihi fulgeat alto
Lumen ab axe tuum, præſcripto a tramite aberrans
Longe abeo, inuoluorque repente erroribus hoſtis
Perpetui, infernasq; ruens depellor in vmbras.
Si via qua cœpi iamdudum tendere greſſus
Eſt ea, quæ placuit tibi, ſupremoq. parenti,
Quam pia præſcribunt, legis mandata verenda
Cur tanta inſurgit ventis agitata procella
Aduerſis? cœptumq; vetat percurrere curſum?
Si tibi ſic placitum eſt, tantos auerte labores,
Inualido aut valida vires mihi ſuggere dextra,
At, grege pro veſtro, ſi me hæc perferre neceſſe eſt,
O Paſtor bone, nullum opto vitare laborem,
Proq; tuis ouibus cupiam hanc effundere vitam;
Saltem o mortalem ne cæli deſerat aura.
Hæc pia vota ſacræ pars officioſa cateruæ
Ante volans nubes, rapidis atque ocyor Euris
Aeterni Nati, ſummiq; Parentis ad aures
Ferre, genas lachrimis pars exſiccare madentes,
Et procul ex animo triſtes depellere curas.

IO. FRANCISCI BONHOMII
CREMONEN. BORROMEIDOS.

Liber IV.

VT ſcelus indignum, & tam dira piacula ſenſit
Terra parens, concepta animo, atq; immanibus auſis
Impendere ſibi, quæ ſigna furoris, & iræ
Non dedit? indignans facinus perferre nefandum?
Dum ſæuas etenim premit alto pectore curas,
Angitur indomitoq; dolore, ingentia tandem
Imo a corde vomit tanto ſuſpiria motu,
Funditus vt tecta, & turres euerterit altas
Murorumque minas ingentes ſtrauerit orco.
Senſit Parthenope inſolito concuſſa tremore,
Quæ timuit pulchram euerti cum mœnibus Vrbem
Antiqui memor excidij, vaſtæq; ruinæ,
Cum ſimilem ob cauſam tota eſt Trinacria tellus
Auſonijs a limitibus ſeiuncta, prius quæ
Hærebant interiecta breuis æquoris vnda.
Quin etiam in colles Ethruſci ad fluminis vndam
Sæuijt irarum plena, & ſatis ima deiſcens
Paſtores, pagosq; ſimul, camposq., gregeſq.

Detulit in baratrum, tenebriſq. inuoluit opacis,
Inſubrum totam diris quoque hiatibus Vrbem
Abſtulerat, gentemq. atris immerſerat vmbris,
Ni pius hanc genitor cladem auertiſſet ab alto;
Quid memorem quantis irarum excanduit æther
Ignibus, exoriens qua ſol caput exerit aureum?
Auguſti ſedes vbi magna Vrbs æmula Romæ
Imperij, ſic fulmineis eſt acta procellis,
Vt conuerſa ferè in cineres æquata ſol ſit?
Quid? quod ab Adriacis ſpectauit territus vndis
Portentum ſub idem Neptunus tempus, ab vllo
Non prius auditum, manus aut inimica, doluſue,
Seu ſors id tulerit, non iam ſine numine Diuum
(Hæc ſi cura illos manet) eueniſſe putandnm eſt.
Forte etiam terra ipſa fero dum exæſtuat igni
Curarum, ſuccenſa ſinu tranſmiſit ab imo
Tenuia flammatas per ſpiramenta fauillas,
Quas non æquorei valuere extinguere fluctus
Halitus aut longe ſpirans (mirabile dictu)
Terrifico at plenas petierunt puluere turres
Ex ſalicis carbone, nitroq. & ſulphure, in vſus
Belli compoſito, plura, & iam luſtra parato,
Is ſubito arreptis flammis exarſit in auras,
Atque ipſas ſecum turres tulit altaq. cœli
Tecta adijt, proprioq. minatus ab orbe ſororem
Pellere Phœbeam, medium quæ forte ſerena

Noctis

Noctis agebat iter fronte, at fulgore repente
Inſolito, & ſæuo fugit tremefacta fragore,
Et caput obſcuro nitidum uelauit amictu.
Contremuere altis vicino palatia circum
Pinnis constructa, & ſalſis fundata ſub vndis,
Vrbſq, ipſa imperij ſedes Auguſta perenni
Duratura æuo, non vlli obnoxia caſu
Pertimuit tremefacta diem aduenisſe ſupremum,
Antiqui metam Regni, & tota ire ſub æquor,
Piſcibus hoſpitium, monſtriſq, futura marinis.
Tum pauidæ natos preſſere ad dulcia matres
Vbera palenteſq. viri, trepidæq; puellæ
Mollibus exciti ſtratis, dulciq. ſopore,
Liquerunt propriaſq; domos, notumq; cubile,
Et medias petiere vias, ne tecta cadentum
Obruerent dominos inopina morte domorum.
Nec minus Adriatico pubes Nereia ponto
Et Phocæ immanes, Rexq. ipſe Tridentifer omnes
Tranquilla horrifico exciti de ſede fragore,
Vt vaſtas videre altum petere æthera flammas,
Omnia conuerti in cineres, altumq; profundi
Fundum exhauriri penitus, ſiccumq; relinqui
Pertimuere, ſinuſq. fuga petiere profundos.
Sic igitur muta horreſcunt elementa nefandum
Ferre nefas, quod concipere haud exhorruit audax
Mens hominis? iam iamq. audet manus impia (dirũ)
Perficere?

Perficere? heu ſecli miſeranda infamia noſtri.
Quod ſtruis infelix, quod iam moliris, iniquum
Eſt nimis, indignumq. nimis ſcelus, accipe quæ te
Sors maneat vitæ, vt taceam poſt munera lucis
Te non excipiet commiſſo hoc crimine, tutum
Terra vſquam, quæ, quando atris nox occulat vmbris
Infandum facinus, nec ſit, qui vindicet, ipſa
Terra parens te vltrix vaſto abſorbebit hiatu.
Deſine, vel potius merito te funere damna,
Quam pietate virum ſpectata, æquiq. boniq.
Cultorem inſignem, incorruptis moribus ipſos
Aequantem cœli ciues, ſanctoſq. Quirites,
Ambroſium terris diffundentem vndiq. odorem,
Nec minus haud ficto ſolidæ uirtutis honore
Conſpicuum, quam ſit mitra ſpectandus, & oſtro,
Inſuper, & fidum ſupremi ad ſacra Miniſtrum
Rectoris, cui iam nihil eſt adſcribere culpæ,
Quod ualeat merito, niſi te, erranteſq. ſodales
Correxiſſe, adeo crimen dicatur atrox, ut
Diluere id diro iam funere ſola queat Mors.
Vos etiam, qui ſæua nimis mandata dediſtis,
Integra dum res eſt reuocate immania iuſſa
Promiſſumque negate aurum, precibuſq. (poteſtis
Nam facile) à cœptis ſceleratum arcete miniſtrum
Tempus erit (nec erit patrato crimine longe)
Cum uos infandi ſceleris, diriq. pigebit

Conſilij, at ſero, nec enim reuocare licebit
Impia mandata, & uitam ducetis acerbam,
Conſilia ah quanti fida hæc optabitis empta?
Cum vigil irati cuſtodia Iudicis arcte
Pertrahet obſtrictos vinclis, ſæuiſq. catenis,
Horrentiq. vmbris, & tetro carcere odore
Condet, & incluſos centeno poſte tenebit,
Immaniſq. altum ſuſpenſos funis ad orbem
Tollet, præcipiteſq. dabit de vertice ſummo;
Quis tum animo metus, ac membris dolor ingruet? acres
Ingeminabit atrox tractus de more ſatelles,
Pendenteſq. & membra loco diuulſa tenentes
Succutiet tremulus percuſſus ſtipite funis,
Atque alia ex alijs ſubigent tormenta fateri.
Inde reos ſæui conuictos criminis atra
Supplicia expoſcent vitam finire ſecuri
Hos dura furcaq. illos pendere triligni.
Hæc, & plura polo obijciebat lapſa iuuentus
Infectis iam peſte animis, aſt omnia fruſtra,
Haud etenim patriam tantis inuiſere terram
Exoptat uotis uarias qui tempore longo
Ignota ſedes quæſiuerit exul arena,
Siue ratem tuto optati ſuccedere portus
Littora, quaßatam uentis, atque æquoris unda,
Qui propriæ incertus fuerit modo Nauta ſalutis;
Quantis expectant ipſi aduentare cupitam

Horam

Horam illam, qua ſollicitas pergratus ad aures
Nuncius inuiſum referat iam obiiſſe parato
Plumbo hoſtem, vitæq. diem clauſiſſe ſupremum!
Quin & conſtantem ſæpe increpuere miniſtrum
Atque nouis animum magis incendere citatum
Promiſsis, vt nil timeat memorabile factum
Audere, & cæpto iam metam attingere curſu.
Iamq́ dies optata aderat, ſceleriq́ dicata
Infando ferrugineum qua Phœbus ab vndis
Extulit indignans caput, & veſtigia retro
Colligere optauit, facinus ne cerneret atrox,
Quod potuit, tamen occiduo ſubmergere ponto
Accelerauit equos laxatis acer habenis;
Illo abeunte atris nox circumſepta tenebris
Succeſsit, ſeris memoranda nepotibus olim,
Dum vario cæli uoluentur ſydera motu,
Dumq. fluent uaſtum labentia flumina in æquor,
Hic, poſtquam ſignum dedit æs de more ſonorum,
Optimus Antiſtes, animo cui nil magis hæret,
Quam ſæpe æternum Diuumq́, hominumq́ parentem
Affari, uolucriq́ polum percurrere mente
Terreniſq. animum cæleſtem auertere curis,
Incedit tota comitante cohorte ſuorum.
Poſthabitis cunctis, ſolitamque ingreſſus in ædem
Seq. ſuoſq. ſacræ primum perfundit aquai
Criminibus purgante animas leuioribus unda:

Ipſe

Ipſe dein procumbit humi, reliquiq́ recuruis
Procumbunt omnes genibus, ſuetaſq. profundo
Fundentes e corde preces, & feruida vota,
Oraq́ conuerſi, & mentes, & lumina ad aram
Vt tandem longo imponatur meta labori,
Paſtorique pio ſint proſpera cuncta precantur.
Pars ſociorum aræ ad cornu ſeiuncta ſiniſtrum
Dulcibus intentas demulcet cantibus aures
Orantum, & varijs vt decantare ſolebat
Carmina ſacra modis, ſic cæli candida pubes
Mixta graues nulli tum viſa, aut cognita, cantus
Miſcuit, adſtantumq́ animos, & pectora mire
Firmauit, repetens ea ſæpe potentia verba.
NON timor inuadat, non perturbatio veſtrum
Cor, quibus ô curæ eſt ſub noſtris degere ſignis;
Hæc Deus humanis indutus veſtibus olim
Diſcipulorum animos, nec adhuc in prælia fortes
Firmans veridico moriturus protulit ore,
Vt licet atra crucis conſcendere ligna Magiſtrum
Aſpicerent, turpique inſontem funere plecti,
Tum Solymos, populoſque omnes in bella ruentes
In ſe ipſos, omni auxilio, & ductore carentes
Conciderent tamen haud animo, nanq́ ipſe futurus
Dux erat ijs ſemper, conſolatorq́ comesq́,
Fluctibus aduerſis, duriſq. laboribus actis;
Et tormenta inter media, hoſtilemq́ furorem,

Atque ipſas inter multo cum ſanguine cædes.
Quod robur, quales vires, ea verba putaris
Infudiſſe animis iam ferre aduerſa paratis.
Præcipue Herois totis iam ſenſibus vnum
Quærentis ſuper aſtra Deum, caſtamq; parentem?
Si licet effari, iuuenis quæ charus Olympo
Ante ſibi reſerata, mihi narrare precanti
Haud dedignatus dicam, at comprendere nulla
Mens hominis valet, ac vox nulla retexere tanta
Arcana, id ſaltem mihi iam memorare licebit.
Aethereis Borromeum tum cantibus vltro
Abſorptum tota extra corpus mente fuiſſe,
Syderea, & cæli luſtrantem clauſtra, beatos
Inter cælicolas, dulces petijſſe ſupremi
Amplexus ſponſi, caſtæque parentis in almo
Reclinaſſe ſinu, atque dapes guſtaſſe ſupernas,
Vincentes ſolida fictum dulcedine nectar.
At ſceleris iam concepti ferus author, ouili
Seu lupus inſidians pleno circundare caulas
Haud ceſſat, rabidum impaſtus ſedare furorem
Tantum optans, donec quæſitum ſubripit agnum,
Haud aliter ſtigiæ ſæuit vi impulſus Erynnis
Innocuo cupiens rabiem ſaturare cruore.
Non iam animo dubitat, trepidantue in pectore corda,
Siue manus titubat ſceleratum condere factum,
Nec locus aligerum ſupereſt monituue, minisue.

At plenus ſcelere, & peſti deuotus in ædem
Haud ingreſſus, humi primo poſt oſtia flexis
Procumbit genibus latitans, ſimiliſq; precanti,
Vt cunctorum acies, animoſq; aſpexit ad aram
Conuerſos, varijsq; intentas cantibus aures
Nilque obſtare, vnus certo iam quo minus ictu
Antiſtes ſacer, & lathali glande petatur.
Erigitur, ſæuaque manu Phlegetontis ad imas
Tormentum fabricatum vndas attollit, & vnum,
Quem petit, aſpiciens, medijs in renibus ictus
Ipſe locum ſignat, nec fit mora, tenſa repente
Quæ fuerat, rota laxa ruit, ſiccamque fauillam
Excutit e ſilice arenti, ſimul arripit ignem
Sulfureus puluis, plumbum fugit ocyus actum
Vi ſubita concluſi ignis, flamma occupat ædem
Impia, Tartareo tonitru vrbs concuſſa repente eſt,
Totaque contremuit, latis Inſubria campis,
Abduaq;, & vitreis timuit Ticinus ab antris.
Atque ipſe Eridanus pater imo in gurgite glaucum
Abdidit exhorrens caput, & ventoſa ſub vndas
Effundens indignanti ſuſpiria corde
Nuncius immanis ſceleris penetrauit in oras
Adriaci primum maris, eximioq; dolore
Rex ipſe affectus, tota, & Nereia pubes.
Hoc erat, hoc fatis nimis auerſantibus omnes,
Patruri ſcelus in terris, dixere, nefandum

Vt quandoq; ſolet, vanum euaſiſſe putaret
Pulueris, aut ſilicis culpa aut iaculantis, at omnes
Seruatum vt ſcirent cæleſti numine gentes
Paſtorem dilectum hominumq; Deumq; parenti.
Pars tunicam ingreſsi interius primam, atq; ſecundā
Compoſitam ex hirci ſetis, & murice tinctam
Taxillo fodier tantum voluere, nec vltra
Permiſere ictum plumbi penetrare ruentis.
Pars intenta fuit reliquos diſpergere, quorum
Obſtantes alter lapides confregit, & alter
Duro hæſit ligno, claroque foramine firmas
Teſtatus vires teli eſt, quod vulnere dira
Dulcem aſſumpſiſſet vitam, niſi dextera ab alto
Seruatrix in opem iam deſcendiſſet olympo.
Iamque illum collabentem obſeruabat Erinnis
Impia, transfoſſum medio quem pectora tergo
Crediderat tenues animamq; effundere in auras.
Vt tamen illæſa aſpexit (mirabile viſu)
Terga manere, atrum & ſuper ima veſte ſedere
Delapſum plumbum ſine vi, correpta dolore
Ingenti, non Tartareas deſcendit in umbras,
Nanque timet Ditis conſiſtere ad ora furentis
(Re ſi quidem redit infecta, nec facta fuere
Promiſsis paria) At comitem iubet ire ſub imis
Inuitum tenebras, referat qui cuncta, nec ipſi
Si quid deliquit, uel ſi quid omiſit, Erynni

Par-

Parcat ; at inſano vt replerit Tartara luctu ,
Hæc addens , ægros ſoletur , ſpeſq. cadentes
Erigat . Ipſa quidem Stygias deſcendere in oras
Erubuit , licet haud culpæ ſibi conſcia Erinnis .
Aſt Orientis adit magnum indignata Tyrannum ,
Quem ſibi ſic ſpondet furijs accendere , & ira ,
Vt totum Chriſti vaſtis abſumat ouile
Faucibus , & ſolus terrarum regnet in orbe ;
Sic fore , vt inſtauret citius labentia Regna ,
Et magno cedat leuis hæc iniuria lucro ,
Et diſcat cœli Dominus ſeruare nocentes ,
Ditis , & a iuſsis fidos arcere miniſtros .
En ruere in bellum lachrymabile cernitur omnis
Gens , Aſiam quæ dura colit , quamq. Affrica tellus
Gignit , Hyperboreis , & quæ deſcendit ab oris ,
Quin totum innumeris iam feruere puppibus æquor ,
Et claſſem educi , qua non ingentior vnquam
Tranſactis viſa eſt ſeclis , ſeu Græcia totis
Viribus , aut illam molita eſt Roma coactis ,
Vnus vt imperium teneat , terraq. mariq.
Fœdere qui ſtabili Regnis ſe iungit Auerni .
Conſilia , at diris non cedent impia votis
Crudelis maleſana , furens , ſata nocte Megera ,
Si dabitur duras in ſæuum accendere Martem
Gentes , & rabidas armare in prælia dextras ,
Cogere , & innumeras Equitum , peditumq. phalanges

Aequantes

Aequantes numero infinitos ætheris ignes,
Immenſo, & ratibus nubes obducere ponto,
Cæruleos multo quoque ſanguine tingere fluctus,
Non ideo iam parta tibi victoria, nec iam
Deiectus ſpe colla iugo ſubmittet acerbo
Grex Chriſti, non in numero confidere multum
Aſſuetus, verum diuini numinis aura.
Quis neſcit ducente Deo tot millia ab vno,
Fuſa virum? atque humiles uim ſubuertiſſe potentum?
Et pueri funda armatum cecidiſſe Gigantem?
Ipſe autem furijs plenus, cæcoq; ueneno,
Vir ſacer, infandusque metu perculſus iniquo,
Et mira nouitate rei ſtupefactus, agit ſe
In præceps fugiens, aulamq; & limina linquit,
Nulli præterea uiſus, nec cognitus ulli,
Et ſtygium pene eſt comitem ſectatus in Orcum,
Vitalem indignans auram iam carpere, poſtquam
Quem modo crediderat certum fore, uidit inanem
Euaſiſſe ictum, atque hoſtem ſupereſſe periclis.
Et niſi ſpes animum crudelem uana foueret,
Poſſe aliquando opus inceptum finire, feroci
Et caput inuiſum dextra dimittere letho;
Iam comiti comes infernas migraſſet in oras
Tempore non ullo ſuperas rediturus ad auras.
At contra Aligeri cætus lætiſsima pubes,
Tollitur in ſublime ſecans liquidum æthera pennis,

Euen-

Euentuſq. boni certiſsima nuncia replet
Lætitia cœlos mira, tantuſq. choroſque
Innouat, & uarijs dulces concentibus hymnos,
Inſtaurat natoque Dei, magnæq. parenti,
Huic precibus quod opem ſummam exorauerit, illi
Quod pius incolumem dextra ſeruarit amicum.
Diſcite mortales præcepta faceſſere legis
Diuinæ, atq. oculos in ſummum intendite Patrem,
Huic ſeruite uni, huic ſacros perſoluite honores,
Sic animo hærentes illi, ut uos inter, & ipſum
Nil mediū eſſe queat, quod lumina ueſtra fatiget
Impediatue ſacrum rorantem deſuper imbrem;
Non mundi illecebræ, non ueſtræ cura quietis,
Non laus ueſtra, aut ueſter honos, auriue cupido
Inflectat, teneatue animum, uel pectus adurat,
Nilue, quod humanos ualeat corrumpere ſenſus;
Tum fraudes, uireſq. hominum contemnite, & hoſtis
Aeterni rabiem tetro regnantis in orco,
Ite per hoſtiles gladios, per tela, per ignes,
Per mare turbatum, per cuncta pericula tuti,
Quos uos aura poli ſpirans lætiſsima ducit,
Nil poterit uobis unquam, nil credite, obeſſe,
Nam quis erit contra? quando uos protegat ingens
Dextra Dei, totum nutu qui temperat orbem?
Cuſtodes en ſacra polo demiſſa iuuentus,
Læuam mille, decemque tuentur millia dextram,

Ne

Ne lapis inċautos offendat forte cadentes.
Ecce pio nihil Heroi ſacer obfuit ictus,
Cui lignum, & paries, & dura reſiſtere ſaxa
Non valuere, triplex cui non obſiſtere thorax,
Nec valet æratus clypei ſeptemplicis Orbis,
Num rapit ille fugam caſu perculſus atroci?
Num tenebras quærit perterritus, aut magis ipſum
Authorem tanti ſceleris comprehendere curat?
Vt meritas pendat ſcelerato ſanguine pœnas?
Mira viri pietas, mira o conſtantia, mirus
Religionis amor, mira o germanaque virtus
Ac veluti ſomno media qui nocte profundo
Correptus, culicis ſi cuſpide forte petatur,
Mollibus e ſtratis vix expergiſcitur, at non
Exurgit, refouens optata membra quiete;
Haud ſecus immanem tormenti Præſul ad ictum
Mente redit ſummum qua perluſtrabat Olympum,
Leniter ad corpus; plumbi, ingentemque fragorem
Agnoſcit, vireſque ferar, flammamq. coruſcam,
Et telum media in terga irreparabile ſentit
Percuſſiſſe, loco nihil attamen ipſe mouetur
Corpore, nil animo titubat, nil pectore nutat.
Quin exire alios ſecreta ex æde volentes,
Sectariq. reum patrati criminis, ipſe
Increpat, atque loco conſiſtere præcipit omnes
Quenq. ſuo, peragiq. preces iubet ordine ſacras.

L *Conſueto*

Conſueto precibuſq; dicatam explerier horam.
Hic totis animi ſupplex conatibus orans
Aeterei natum Regis ſic ore profatur.
Parce pie authori, quia neſcit quod facit, alme
Rex pacis, tenebris da lumen cernere in atris
Diuinum, noxam unde queat cognoſcere, & alte
Contractam ſordem lachrymarum abſtergere riuo,
Et ſuperas labe abluta conſcendere in arces.
Inde pio exultans animo, dextramq; potentis
Seruatricem alti agnoſcens de culmine cœli,
Tales ad cœlum tacita edit voce loquelas.
Quas tibi pro tanto perſoluam munere grates
Summe Pater? qui me certo euaſiſſe periclo
Illæſum voluiſti? & aperto oſtendere ſigno,
Quanta mei ſit cura tibi? licet vtilis haud ſim
Miles, & indignus ſacram geſtare coronam?
Ecquid inexhauſtæ fons o pietatis, & author
Vitæ, quid merui? medijs vt faucibus orci
Me pius eripias, ipſoq; in funere ſerues?
At ſi me incolumem voluiſti, mille prioris
Acrius vt ſtudeam maculas detergere vitæ
Continuo lachrymarum imbre, aſsiduoq; labore,
Pro grege commiſſo inuigilem, pro teque paratus,
Quam modo donaſti largus ſim fundere vitam;
Da lachrymas bone Chriſte pias tu qui bona cuncta
Largiris ſolus, verum da corde dolorem.

Vt valeam delicta mea deflere iuuentæ.
Da ſumme o Paſtor da tantas pectore vires
Concipere, vt nullus labor vnquam auertat ab illo
Officio, cui me ſacra ouilis cura reuincit.
Ardentemq́ infunde tui per viſcera amorem,
Charius, vt mihi ſit nihil, aut antiquius vnquam;
Quam tormenta tuo pro nomine cuncta ſubire,
Et ſæuæ horrificos mortis contemnere morſus.
Annuit oranti cœlo Rex ſummus ab alto
Inſolitasq́ hauſit flammas, & robora ſupplex
Dux ſacri gregis, & lachrymis perfudit anhela
Ora, auidasq́ genas ſaturauit flumine largo.

IO· FRANCISCI BONHOMII

CREMONENSIS

VERCELLARVM EPISCOPI

OB VICTORIAM

AD ECHINADAS PARTAM

EVCHARISTIRION.

IO. FRANCISCI BONHOMII CREMONENSIS OB VICTORIAM AD ECHINADAS PARTAM

EVCHARISTIRION

QVAS tibi ſoluamus rerum pater optime grates?
Quoue tuus merito celebremus carmine laudes?
Nuper ab horrifica ſeruati faucibus Hydræ,
Heſperijs quæ iam terris inhiabat, & atro
Inficere, horrendum, properabat cuncta veneno?
Quod licet, intonſi pueri, innuptæq. puellæ,
Longæuiq. ſenes, omniſq. effuſa iuuentus
Templa adeunt, ac vota ferunt, pictiſq. tabellis
Sublimes decorant Arcus, decorantq. columnas,
Fumanteſq. onerant donis ſolemnibus aras,
Integer ante alios aurata in veſte ſacerdos,
Et cultu vario inſignis, per ſtrata viarum,
Et pia per delubra choros noctesque dieſque
Ingeminat, tollitque humiles ad ſydera voces,
Concinere, & ſacros tibi nunquam deſinit hymnos?
Vndiq. cum miro flores diffundit odore
Terra nouos, pulchriſq. coloribus aucta renidet

Exultant ipſi colles, valleſq; reſultant
Plauſibus, & dulces ardent componere verſus;
Ipſaq. ſaxa tuum nunquam reticere canendo
Nomen, & æternum decus, admirandaq; facta,
Et tua magna hilari teſtari munera cantu.
Tu ſcelerum oblitus noſtrorum incenſus amore,
Et nimis ardenti tactus pietate, furorem
Eoi repr imis monſtri implacidamq; retundis
Sæuitiam, atque tuas bello das vincere gentes;
Te duce Romanus Princeps, qui præſidet orbi
In ſocia arma vocat, ſanctoq. in fœdere firmat,
Eximia Regem pietate, armiſq. potentem,
Cui Tagus, & Rhenus, Sebetuſq. Eridanuſq.
Seruit, & Oceani parent prius inuia Regna;
Sublimemq. Ducem, Venetam qui legibus Vrbem
Temperat, Adriacumq. ſinum, & maria alta coercet.
Tum cui ſumma omnis belli, rerumq. poteſtas
Detur, ab excelſo quem iam pridem æthere miſſum
Seruabas vnum facta ad tam magna miniſtrum,
Deligis; huic habuit nil, quod ſcelerata doloſæ
Fraudis amans, ipſa obijceret diſcordia, cuius
Vna ea cura fuit, ſancitum infringere fœdus.
Ergo ut ab occiduis iuuenis delectus Iberis
Adfuit inſtructa comitatus claſſe, ſed illa
Plus fidens pietate, tuo quæ in pectore regnat,
Aſſiduiſq. Pij uotis monituque fideli

Et precibus tibi quas ſupplex fundebat ad aras
Gens addicta tuis templis, rituq́ dicata;
Hoſtilem ſpolijs, prædaq́ recente ſuperbam
Iamq́ diu ſuetam pugnando vincere claſſem,
Et tercentenis lecto cum milite roſtris
Marmora ſulcantem liquida, aſpirantibus Euris,
Inſequitur certandi auidus, iam iamq́ repertam
Vrget, & immiti cogit decernere pugna.
Quid? cum animos ad bellū acres accenderet ardens,
Exigua vectus cymba, te verba, pioſq́
Inſpirante animi ſenſus, & ſedulus omnes
Luſtraret puppes nutu, monitiſque fidelis,
Nec iam aciem Dux inſtrueret, ſed miles, & ipſe,
Et comes oſtentans natum te patre ſupremo
Vnigenam duro confixum in ſtipite, & atri
Voce inflammaret cunctos, vt iam auſpice tanto
Pugnarent alacres, nec pulchra morte timerent
Oppetere, & partam clara nece ferre coronam;
Illum vnum ſibi nempe Ducem, Dominumq́, Deumq́,
Cuius dextra feros actutum conteret hoſtes,
Non aſſucta virum numero confidere, & armis,
Cuius ope innumeras potis vnius ſternere gentes,
Et puer immanem funda ſuperare Gigantem.
Tantum opus eſſe animo forti, nimis ampla manere
Præmia, non vnquam ſeclis peritura futuris;
Scilicet æternas laudes, claroſq. triumphos,

M *Quales*

Quales nulla prius celebrarit temporis ætas,
Si ſuperent hoſtem, & pugnæ ſit vita ſuperſtes;
At ſi forte cadant aduerſo Marte, parata
Maiora, & longe præſtantia præmia cælo;
Immenſa æternum cœleſtis gaudia regni,
Et permanſura ſedes in pace beatas:
Talibus vt dictis dirum inflammauit in hoſtem
Sic cunctorum animos, vt certo occumbere letho,
Quiſque ſibi pulchrum per aperta pericula ducat,
Ad puppim redit ille ſuam, & vexilla cruore
Tincta ſacro Chriſti, iam tum victricia ſigna,
Cum Pius illa inter ſolemnia rite ſacrauit,
Magnanimoq; Duci dedit, atque expandere tantum
Inſtanti pugna, & certamine iuſsit in ipſo,
Arduus expandit, venientemq; impetit hoſtem;
Qualis inacceſſo de culmine Regius ales
Aduolat inuictus, vacuoq; exercitus aluo,
Iam ſaturas volucres petit, ac diſcerpit aduncis
Vnguibus, & roſtro, prædaq; repente potitur.
Armata vt propius ſe conſpexere triremes,
Incipiunt maiora cauis tormenta metallis,
Compulſa, accenſi vi ſulfuris aduentantes
Hinc, atque hinc petere, & quaſſas turbare carinas,
Et cœli horriſono conuexa replere fragore,
Cumque viris arma, & tabulas disiectaque tranſtra,
Et ſalſo aratas fluctu ſubmergere naues;

Inde minora etiam tormenta ſequuntur ab atra
Pulueris incluſi flamma ſuccenſa, nigroq.
Ex plumbo innumeras pergunt diffundere glandes
Queis non æra valent, clypeiue obſtare, rigenti
Sint licet ex chalybe & tecti ſint orbibus orbes;
Non adeo, irati cum turbant aëra venti,
Denſa pluit grando, & tonitru permixta virentes
Terribilis populatur agros, & fulmine multo,
Cuncta replet ſonitu horribili, trepidoq. tumultu.
Horruit ambratius ſinus, & Cryſſæus, & ipſum
Actium, in antiqua ſe nunquam talia pugna
Audiuiſſe quærens, Leucas, bimariſque Corinthus,
Dulichiumque Cephalenæ, & nemoroſa Zacyntos,
Naupactus, Patræq. Ithacæq. & Echinades imis
Contremuere vndis, Achelous conſtitit, atq.
Exhorrens refugo glaucum caput abdidit amne.
Iamq. furens ſæuit Mars comminus, atque triremis
Iuncta triremi hæret, ſtricto decernitur enſe,
Et rubet effuſo paſsim maris vnda cruore.
Et iam mille virum ſinuoſa per æquora aguntur
Corpora trunca feris miſera eſca futura marinis,
Non crudelem adeo pugnam videre peracta
Secula, non etiam victa ſalamina ſuperbi
Ingenti Xerſis claſſe, aut cum punica Romæ
Aemula gens iterum, atq; iterum eſt congreſſa, coactis
Viribus, aſpexit Sardoa, aut Sicelis vnda.

V liuoli Rex ponti, omniſque aſſueta carinas
Mergere turba, hominumq́ cruore, cædibus, olim
Lætari, nunc horreſcit crudelia toruis
Prælia luminibus ſpectare, & gurgite cæco
Conditur inſueto perculſa pauore, profundasq́
Aufugiens petit, hoſpitia haud ſecura, cauernas.
Hic ſublime decus magnæ, & noua gloria Romæ,
Et latij columen præclarum Antonius Heros,
Cui premere, & laxare ſuæ dat claſsis habenas
Maximus humani generis cuſtosq́, paterq́,
Quantas ediderit ſtrages, quot corpora letho
Tradiderit dextra, vibrantiq́ enſe referre
Non opis eſt noſtræ. Tu numen, tu decus alti
Diua poli, celeri quæ lapſa per aëra penna,
Semper ades fratri victoria, dum mouet ille
Bella manu, famamq́ æternum extendit in æuum
Dic actos in cæca duces vada, & æquore proras
Purpureo immerſas, dic tu facta inclita, dic quæ
Spectaſti, ſeris memoranda nepotibus, aſtra
In media dum nocte dabunt fulgentia lumen,
Orbis, & imperium Antiſtes Romanus habebit,
Proximus huic comes, & conſanguinitate propinquus,
Et clarus virtute nouus Pompeius auita,
Fulmineum gladium Martis rotat inſtar, & arua
Late Barbarico Neptunia ſanguine tingit.
Sic amplis ſpolijs, ſic certat vterq; trophœis

Gentilem

*Gentilem ornare Inuidia admirante columnam:
Tunc illa ætherias ſuſtolli eſt viſa per auras,
Candenti in nebula, clarum mox nocte datura
Sub nigra iubar illuſtris radiantibus aſtris,
Vnde iter aſſueſcant rectum percurrere cæli
Mortales, miſeri dubijsq́ in fluctibus æui
Tuta tenere, viamq́ æternæ laudis inire.
Talis ab Aegypto cum gens exiret inermis,
Summe Deus dilecta tibi, Phariæq́ phalanges
Inſtarent in equis armatæ, & curribus altis,
Clara die effulſit nube in rutilante columna,
Nocteq́ flammarum radio illuſtrata nitenti,
Qua duce ſeruatus ſicco pede transijt vndam
Iſacidum populus rubri maris, hoſtibus imo
Sub pelago merſis, & equis, & curribus, armisq́
Et plauſtris, quicquid Nili accola diues agebat.
Parte alia, aurati ſacra qui vexilla Leonis
Extollit, patriæ incenſus virtutis amore,
Longæuus licet, ac labenti frigidus æuo,
Ardet inire prior dubium certamen, & hoſte
Vltor ab infido meritas iam ſumere pœnas,
Ereptam propter Cypron, violataq́ ſancta
Fœdera, fulgenti inſignis Venerius oſtro,
Præcipuum Veneti decus, & ſpes firma Senatus.
Qualis ab Alpinis deſcendens montibus auctus
Soluuntur cum flante niues Auſtro vndiq́ centum*

flumen

Fluminibus Rex Eridanus ſata vaſtat, agroſq.
Populeas rapit plantas, ſyluaſq. comantes,
Cum ſtabuliſq. armenta, & agreſtum tecta domorum,
Et, quacunque agitur ſinuoſo vortice, cuncta
Diripit, ac ſecum uaſto cum murmure uoluit;
Talis in euboicas fertur, Mauraſq. biremes,
Quaque rates mouet ille ſuas; terit omnia uictor,
Et Numidas; Partoſq.; ſagittiferoſq. Gelonos,
Atque habitu uarios Arabas proſternit, & Indos;
Et laceras uiolentus agit ſub cærula pinus.
Clara quidem uirtus; forteſq. in pectore uires
Magnanimum Heroum, quos & tulit Itala tellus,
Et pulcher tagus aurifera; quos ditat arena,
Mergere multa uirum rapido potuere ſub æſtu
Corpora; inobſtantes, & fortiter edere turmas
Funera multa, tamen nunquam uictoria parta
Tanta foret, ſumme o genitor, niſi fortis adeſſet
Aetere dextra tuo è celſo, quæ territat hoſtem
Inuictum prius, atque animo ſuccumbere fracto
Cogit, & Heſperio ceruices ſubdere ferro.
Tu facis aduerſos extemplo ponere uentos;
Atque tuæ Zefiros implentes carbaſa claſſis
Surgere ſucceſſus certa argumenta futuri;
Sydereaq. leues demittis ab arce cohortes
Instructas facibus, gladijsq. micantibus, unde
In trabe Poliaca pauor; & cum cæde tumultus

Inde

Ingens exoritur, quæ dextram ſera furentem
Sentit ab ætherio patris omnipotentis olympo
Ingruere, atque ſibi iam bello extrema parare;
Scuta gerunt alij uigili fabricata labore,
Cælituumq; pio ſtudio, quæ nulla uel ipſis
Fulminibus mage ſæua, queant perrumpere tela,
Iis generoſa tegunt, & charæ prodiga lucis
Pectora, & infeſto telorum à turbine ſeruant;
Præcipuiq; Ducem Auſtriacum Mars feruidus inſtat
Qua magis horribili clamore, & ſtrage, ruentem,
Cælicolum curam, Auguſti patris incrementum;
Nec ſtabilem minus, atque ingenti mole Columnam,
Quæ partem belli grauiorem ſuſtinet, Atlas
Dicitur ut cæli fulcire nitentia tecta.
Quid referam ueneranda crucis (mirabile dictu)
Signa per aërios nutantia uertice tractus
Seruata, & penitus Lycijs intacta ſagittis?
Quæ curuo intortæ cornu, ualidiſq; lacertis,
Non aliter totum complebant aëra, quam cum
Nubila denſa ſolent cælum obſcurare ſerenum,
Solis & a terris prohibere iacentibus ignes,
Haud ſecus intactum uellus Gedeonis ab omni
Rore fuit quamuis circum area tota maderet,
Magnanimus ſigno quo factus certior eſt Dux
Ampla relaturum ſe fuſo ex hoſte trophæa.
Ergo magna tibi debetur gratia noſtræ

Vnum o præſidium Chriſte, & ſpes vna ſalutis;
Qui neget id nuſquam eſt, niſi captus mente, doliue
Sit plenus, ſcelerumq́ ingenti pondere preſſus:
At bonus Auſtriades, quamuis virtutis auitæ
Conſcius, innumeras animas demiſerit Orco,
Corporaq́ vndifrago totidem ſubmerſerit alto,
Et quernas tumido ſubiecerit æquore moles,
Non ſibi, non dextræ ne ſuæ quicquam arrogat, vni
Sed tibi cuncta refert prudens accepta, paternam
Atque imitans pietatem animi, qui fortia facta
Aemulus, & ſolidam eſt virtutem amplexus ab imo
Corde preces fundit, tibi ſacra altaria donis
Accumulans, & thure focos, & merce Sabæa,
Atque agere aſsiduus grates non deſinit, & cum
Sol vagus æquoreis oritur, cumque occidit vndis,
Munere pro tanto, quod ſpes ſuperauerit omnes,
Et deſiderium, & feruentia uota precantum.

Haud aliter patriam repetens Antonius vrbem,
Inſignisq́ auro, prædaq. decorus opima,
Quanquam illi meritos gens Romula ſoluit honores,
Et celebres renouat priſco de more triumphos,
Aſt humili tamen, & ſubmiſſo corde fatetur
Nil ſibi deberi, nil ſe meruiſſe, ſed omnia
Ipſe tibi tribuit rerum, dominoq., patriq.,
Scilicet id caſtis votis precibusq. rogarat
Supplicibus Genitrix, non religione minus, quam

Nobi-

Nobilitate nitens, priſcorum e ſanguine Regum
Exorta, æterios percurrere mente receſsus
Sueta pia, nec non felicibus vſque pudica
Auſpicijs coniux ducta, & pulcherrima Virgo
Cælicolum non eſt qua gratior vlla parenti,
Non ſi Virgineos Ticini ad flumina cœtus,
Romulidumue iuuet caſtas luſtrare choreas,
Aut celebrem quam Sebethus pater alluit, oram;
Illa annis veneranda ſuis, & prole beata,
Dignaq; nectareis Diuorum accumbere menſis,
Hæc veluti Roſa purpureo intermixta decore
Candida uere nitet, viridi ſpecioſa iuuenta,
Tertia adhuc primo ætatis ſub flore puella,
Iunctæ animis omnes concordibus, & prece iunctæ
Nocte, dieq; humili, natoq;, viroq; precatæ,
Et ſocero demiſſam inter ſunt proſpera uictis
Hoſtibus, ut firmam dubia inter prælia mentem;
His pars non leuior ſpoliorum eſt debita, quæ te
Antoni pugnantem animis, uotiſq; ſecutæ
Incolumem in patrias potuere reducere ſedes,
Atque æquum ſeruare animum, dum conſpicis albo
Vectus equo Romam tibi plauſus reddere ouanti
Deſuetos, longo præeuntibus ordine turbis
Iſmarijs poſt terga manus, & colla reuinctis,
Atque patres te Romulidæ, procerumq; cateruæ
Inſignis multo comitantur murice, & auro,

Et populo plaudente omni Capitolio ab alto
Incedis Vaticanam ſpectandus ad Arcem,
Dum cælum pluuiali Auſtro, nebuliſq. fugatis
Inſolito arridere tibi ſplendore coruſcum
Aſpicis, & pulchrum Veris ſuperare nitorem;
Quidnon hæc triplici compellant vincula nodo
ſic conſtricta, patrem Diuumq., hominumq. furentis
Nempe valent cohibere manum, dum fulmine ſæuit,
Atque iram mulcere, aduerſaq; flectere fata,
Vt tu bella acri duriſsima vincere dextra
Es potis, atque ipſum medio in certamine Martem.
At vos felices animæ, nimiumq. beatæ
Contigit hoc fluxam queis bello effundere vitam,
Luce frui vt cælo æternum meliore liceret,
Scandite iam ſuperas cæli ſtellantis in oras,
Et petite optatos ſummi genitoris ouantes
Amplexus, magnoſq. triumphos ducite, quos non
Tempus edax vnquam lætheis voluat in umbris
At duraturos tum ſecla per omnia, poſtquam
Sol etiam obſcurus fiet, cæloq. refixa
Aſtra cadent, pluuiusq; ignis deſcendet ab alto
Omnia conſumens, dum ſummo denique natus
Summus erit patri compar, dextramq. tenebit
Omnipotens, & uterque parem ſpirabit amorem.
Vos, quanquam obijcere hoſtili pia pectora ferro,
Queis clarum dedit Ionij maris unda ſepulchrum,
Haud

Haud licet, inuictoſue cadendo fundere Thracas,
At dabitur comites inimicam aſſumere gentem.
Tendentes bello precibusq́; animisq́; iuuare,
Vt Chriſti Imperium iam propagetur in omnes
Terrarum partes, quas ſol cunque aureus ambit,
Aſpirate Pij uotis paſtoris, & omnis
Chriſtigenæ gentis, qui iam ſe accingit ad vrbis
Sanctæ iter, & dura cupit a ditione Tyranni
Eripere immanis loca ſacro tincta cruore
Illius, excelſo qui lapſus ab æthere quondam eſt
Aeternus Deus, & mortales induit artus,
Crimina vt elueret noſtra, atque inferret olympo
Humanum genus, ac felici in ſede locaret.
Huc, veluti fontis ſitiens adcurrit ad undam
Ceruus, & exoptat ſiccas intingere fauces,
Sic pater ipſe Pius, quamuis grandæuus & alba
Canicie inſignis mentum, crinesq́; verendos,
Contendit deſiderio flagrante, paratq́;
Myſtica dona ſuper ſacro libare ſepulchro;
Quod triduo extincta, atque effuſo membra cruore
Tincta reſeruauit, noſtræ monimenta ſalutis;
Mox eadem Auroræ ſub prima crepuſcula multò
Clara magis, certamq́; magis ſpirantia vitam
Edidit, ingenti licet eſſent oſtia ſaxo
Clauſa, triumphatæ admirans miracula mortis:
Inde omni ſacrum fuit, ac venerabile genti,

Plurima ab extremis quæ finibus vſque recurrit,
Illud vt inuiſat, promiſſaq; vota reſoluat:
Hic ſublime Crucis ſignum victricis in auras
Extollet, Chriſtoq; nouos indicet honores,
Culmina mox Sinais venerans luſtrabit, & alti
Carmeli iuga pulchra, Thaborq; cacumina, & arces
Antiquas Solymorum, & opimæ mœnia Idumes,
Et quæ Iordanes fluuio rigat arua ſalubri,
Et lybani valles, Cedro, palmaq; vitentes
Perpetuā, ſparſamq. iugis Samaritidos oram,
Bethlemiasq; domos, parientis Virginis almæ
Hoſpitia, & teneri ſancta incunabula partus.
Tunc animi compos factus, ſenioq. beato
Perfunctus, cœli optatam migrabit ad aulam,
Dimiſsis prius extremas Orientis in oras
Fortibus Athletis Chriſti ſeptemq. triones,
Quaq; per immenſos protenditur Africa campos,
Et ſine honore tuum quacunq. eſt nomen, vt omnes
Te populi pater omnipotens timeantq., colantq.,
Et tandem ſit Ouile vnum Paſtore ſub uno.

BREVIS

BREVIS COMMENTARIVS RERVM AB AVCTORE PRAECLARE GESTARVM,

quas Lucas Burgius illius familiaris collegit.

IO. Franciſcus Cremonenſis ex Bonhomiorum familia, quæ antiquitate, fortuna, & exiſtimatione inter primas illius Ciuitatis familias habetur: Patrem habuit Nicolaum, virum magnæ apud ſuos ciues dignitatis, & auctoritatis, Matrem nomine Claram, patria Brixianam, ortam ex Illuſtri Calinorum familia. Puer Cremonæ ijs artibus, quibus ætas illa ad humanitatem informatur, eruditus eſt; Adoleſcens iuri ciuili, & Pontificio, non mediocri cum fructu, operam dedit, primum Bononiæ, deinde Papiæ, ubi Iuriſconſulti nomen aſſecutus eſt eorum ſuffragijs, & iudicio publicis tabulis, vt mos eſt, conſignato, qui tum erant in Gymnaſio illius Ciuitatis publici Legum Doctores, & Interpretes. Iuriſconſultorum igitur inſignibus decoratus, & in eorum numerum ſumma omnium alacritate, & gratiſsima animi ſignificatione cooptatus, ſtatim a Carolo Borromeo Mediolanenſi Cardinali, cui a Pio Quarto Pontifice Maximo, ipſius auunculo, magnæ Reip. Chriſtianæ partes ob ſingularem prudentiam, & probitatem creditæ

erant,

erant, & commiſſæ, Romam euocatus eſt & in publicis magnarum rerum procurationibus aliquot annos conſiliorum, & laborum omnium eius ſocius fuit, & adiutor. Eius opera fideli, & egregia vſus Carolus in ijs rebus gerendis, quæ ad vniuerſam Remp. Chriſtianam pertinerent; Sacerdotium ſanè amplum (Abbatiam Nonantularum appellant) quod ipſe poſſidebat, ei tradidit. Io. Franciſcus igitur pro officij ſui ratione ſtatim Roma profectus, ad Eccleſiam ſuam conceſſit, ubi quod ſacrorum Canonum iure cauetur, quam ex domeſticis ſumptibus ſibi eccleſiaſticorum redditυum partem, quæ pro eius frugalitate ſatis ampla erat, ſibi ſupereſſe cernebat, eam tum in ædibus ſacris, aut reficiendis, aut exornandis tum in ijs, qui aliena viuunt miſericordia, ſuſtentandis piè erogabat. Hoc deinde ſacerdotium Guidoni Ferrerio Cardinali Vercellenſi tradidit, ab eoq́ Vercellenſem Epiſcopatum accepit qui Mediolanenſi Metropolitano ſubiectus eſt. Idque de Borromei conſilio atque ſententia, & Pont. Gregorij XIII. gratiſſima voluntate. Borromeus enim, qui erat Mediolani Archiepiſcopus, quemadmodum antea in ſummi Pontificatus adminiſtratione eius opera vſus fuerat non mediocri cum fructu, & pietatis, & dignitatis, ita ad Metropolitanæ Mediolanenſis Eccleſiæ gubernacula ſedens, ipſius fidem, probitatem, ſapientiam maximè requirebat. Pontifex autem ſperabat

eum

eum honeſtæ vitæ exemplo, & doctrina quæ ſibi cognita iam, ac perſpecta omnino erant, ſacram Diæceſim vercellenſem ſanctè adminiſtraturum. Quare cum Mediolani Vercellarum Epiſcopus ex Sancta Romanæ Eccleſiæ ritu conſecratus eſſet, quo tempore Vercellis ei eſſe licuit, per ſummi Pont. voluntatem, qui ad multo maiora illum munera iam deſtinauerat, quinquennio ita ſe in ea Eccleſia geſsit, vt & Diæceſim illam totam diligenter perluſtrauerit, & concilia Sacerdotum Cœtusq; complures habuerit, cæteraq; omnia ſumma cum vigilantia, & paſtorali ſollicitudine prouiderit, quæ ad religionem, ad miniſtrorum Dei ſanctimoniam, & ad reliqui totius populi, ſibi concrediti, rectam viuendi rationem pertinerent, controuerſias nonnullorum ciuium inueteratas, ac prope capitales ſuſtulerit: Aedes ſacras inſtaurandas curauerit, in primis verò Templum Diui Euſebij, quod in ea Vrbe maximum eſt: in quo præter cætera Capellam maiorem, Canonicorum vſui ad Dei laudes concinnendas addictam, magnificis ſumptibus exædificauit, mirificeq; exornauit. Aedes etiam extruxit non contemnendas in quibus ex Tridentini Concilij decreto certus adoleſcentum numerus ad pietatem, & eruditionem, Eccleſiæ ſumptibus informatur, quod Seminarij nomine valde accommodato appellandum eſſe cenſuerunt ſanctiſsimi illi Patres; propterea quòd ibi tanquam teneræ arbores alantur, & inſtitutorum

cura

cura non mediocri educentur, quæ, per uniuerſam deinde illius Ciuitatis Eccleſiã diſperſæ, fructum ferant, tantæ institutioni conſentaneum. Veſtes, & vaſa prætioſa ad vſum, & ornamentum templi, conficienda curauit: Corpora multorum diuorum, quæ in ea vrbe plurimos annos prope incognita iacuerant in locum auguſtiorem, a ſe ipſo, ea de cauſa, non exiguis ſumptibus paratum, tranſtulit; ad quam rem pie gerendam Cardinales quattuor, Epiſcopos xxiiij. a ſe conuocatos & inuitatos liberali hoſpitio ſuſcepit. Crebris concionibus, & ſacerdotes, & reliquos in officio, & fide continuit. Eos autem, quos inopia rerum neceßariarum premi cognoſceret, ſuſtentare nunquam intermiſit: Idq; non ſolum præſens, ſed etiam abſens ſemper præſtitit, cum prope omnes illius Epiſcopatus reditus in eiuſmodi vſus erogauerit. Nam ex tabulis accepti, & expenſi, ab eius oeconomo confectis, cognitum eſt, ſpatio quattuordecim annorum, quibus aut præſens, aut abſens Vercellenſi Epiſcopatui præfuit, octo, & viginti aureorum coronatorum millia in eas res quas commemorauimus ab eo fuiſſe diſtributa, cum, primis annis, annuus illius prouentus eſſet tantummodo aureorum mille, & ſexcentorum, poſtremis autem annis, ipſius, et domeſticorum diligentia, ad tria millia auctus eßet. Cum autem, vt diximus, quattuordecim annos, Epiſcopatui Vercellẽſi præfuerit, quinque annos præſens illam Eccleſiam, vt etiam dictum

ctum eſt rexit, reliquos nouem in varijs legationibus a Pontificibus Greg. xiij. & Xiſto V. Reip. Chriſtianæ cauſa demandatis conſumpſit. Ac primum viſitationis gratia ab Apoſt. Sede ad Nouocomenſem Diæceſim deſtinatus eſt cum ampliſſima cognoſcendi, iudicandi, & ſtatuendi poteſtate, cuius etiam muneris ratione adijt incolas vallis Vulturenæ, quæ cum Rhetorum poteſtati, & Imperio ſubiaceat, Epiſcopum tamen Nouocomenſem ſacrorum antiſtitem, & proprium Paſtorem agnoſcit. ſed cum Rheti hæreticorum impietate ſequentes ab Eccleſia Romana defecerint ac propterea neglecta R. Pōtificis auctoritate nihil eius nomine in ſua ditione agi permittat; Epiſcopus pro ſua in Deum pietate ſingulari, & animarum Chriſti ſanguine coemptarum ſalutis cupiditate incredibili, qua potuit meliori ratione, quæ ſumma eius prudentia erat, in eam ſe regionem inſinuauit, vbi pro temporis, & loci ratione ea aggreſſus eſt, quorum cauſa uenerat: præſertim cum illius Vallis populi, ueram pietatē retinentes R. Pontificis auctoritatem, & agnoſcant, & venerentur. Finxit igitur ſe valetudinis cauſa ad Balneas quæ Bormij in ea Regione ſunt accedere, qua fama facilem aditum nactus, quæ erant ſui muneris, cœpit adminiſtrare. Hac re ad Rhetos delata, Ioanni Trauerſio illius Vallis Præfecto, per litteras mandarunt, vt ſi Epiſcopus Vercellenſis Balneorum beneficio vti vellet, quemadmodum iam præ ſe tulerat, cum eas regiones pete-

r.t id ei permitteret, & omnibus humanitatis, et liberalitatis officijs amplecteretur; ſin occulte aliquid tentaret, quod ad Religionem, & ſacra pertineret, omni eum ratione prohiberet: quod niſi feciſſet, ipſummet maieſtatis crimine obſtrictum iri: iuſſerunt etiam, ut Epiſcopo denuntiaret, niſi ab incœpto deſtitiſſet, Rhetos illum in uincula coniecturos, & in eū pari iure acturos, quo Romanus Pontifex cum eorum Concionatoribus intra eorū fines captis, & Romam adductis, agere conſueuiſſet. Trauerſius igitur, & cæteri eius Regionis magiſtratus Epiſcopo Sacerdotum vitam, & mores exploranti, & ſacra adminiſtranti, aſsiduis concionibus populos ad retinendam pietatem cohortanti, cæteraq́, quæ erant ſui muneris agenti, ſe ſe opponere, & vbique vi & armis intentatis reſiſtere cœperunt, in primis autem, quod ſilentio non videtur prætereundum, cum Morbegni, quod eſt eius Vallis oppidum, in templo veſtibus ſacris ac Pontificijs indutus, ſacro chryſmate oppidanos illius cupidos, ex ritu Romanæ Eccleſiæ inungeret, Prætor illius loci iuſsit, vt id facere omnino deſiſteret: qua tamen denunciatione Epiſcopus nihil deterritus, rem incœptam non intermittebat; ſed Oppidani, qui eò cōfluxerant, ut Chryſmatis ſacramentum perciperent; veriti ne quid grauius Prætor in eum moliretur, paulatim dilapſi diſceſſerunt: His tamen tot ac tantis difficultatibus nihil perterritus Præſul pijſsimus, cum ſe in illa adminiſtratione

ne perpetuo præſtitit, vt neque periculorum magnitudine, neq. Magiſtratuum minus fieri potuerit; quin unius menſis ſpatio, quo illic commoratus eſt, ea omnia cumulatè & præſtiterit, & præclaris ſanctionibus præſcripſerit, quæ ad illius regionis ſalutem, & Chriſtianæ Religionis inſtaurationem pertinere viderentur. Diœceſi Nouocomenſi diligenter perluſtrata, ſtatim à Gregorio XIII. Pontifice Maximo Nuncius miſſus eſt ad eos Heluetios, qui in retinenda ſanctiſsimorum patrũ doctrina, et tuenda Eccleſiæ Romanæ inſtitutis, conſtantes perſtiterunt; in qua legatione biennio commoratus, in cognoſcenda, ſanctioribusq. inſtitutis conformanda Sacerdotum vita, in controuerſijs dirimendis, in comprimenda multorum licentia, & audacia, nullum laborem, nullumq. periculum ſubterfugit. Maximam in primis in eo diligentiam adhibuit, ne quis a vera pietate, falſis opinionibus, auerteretur; cum præſertim hi Heluetij, apud quos erat, quique, vt dictum eſt, de Religione, & Eccleſia Romana bene ſentiunt, habeant eos populos finitimos, & vicinos, qui impia hæreticorum dogmata ſequuti, omni conatu in illud incumbunt, vt cæteros a veteri, & germana fide ad commentitias ſuas, innanesq. fabulas traducant, qua etiam diabolica inſania acti, Bonhomio ipſi inſidias ſtruere, mortem machinari nunquam deſtiterunt; quòd is eorum conatibus valde occurreret, eorumq. conſilia ſua incredibili ſapien-

*tia infringeret: Dum hoc munere legationis apud Hel-
uetios fungeretur, ſæpe iuſſu Pontificis contulit ſe Coriā
quod eſt Oppidum Rhetorum longè maximum, vt con-
trouerſiam, quæ inter ipſos, & Ciuitatis illius Epiſco-
pum erat cognoſceret, & aliqua ratione tolleret, quod
erat ſanè difficillimum apud homines a vera religione
auerſos. Ibi igitur cum aliquot dies, eius rei cauſa, com-
moraretur, ſaxa noctu fuerunt coniecta in feneſtras eius
domus, in qua diuerſabatur: exiſtimatum eſt id factum
eſſe ab ijs, qui & Chriſtianæ religionis hoſtes, & R.
Eccleſiæ infenſi, tum ipſum Epiſcopum, tum Pontificis
Nuncium grauiſſimo odio proſequebantur: in quem cū
luce, & palam impetum facere non auderent, aut metu
magiſtratuum, aut ne internuncium lædentes, gentium
ius violare viderentur, clam, & noctu hoc iniuriæ ge-
nere, ſuæ in eum maleuolentiæ virus euomebant. Poſtri-
die eius rei fama ad magiſtratus, & Gubernatores Ci-
uitatis perlata, vt oſtenderent id publico conſilio factum
nō fuiſſe, in illius nocturnæ inſolentiæ auctores inquiren-
dum, & ſi qui comperti fuiſſent ſeueriſſime animaduer-
tendum eſſe cenſuerunt: Quæ deliberatio cum primū ad
aures Bonhomij peruenit, egit cum ijs per Legatum Re-
gis Galliæ, qui tum erat apud eos magnæ auctoritatis, &
dignitatis, ut ab hac inquiſitione, & inueſtigatione omni
no deſiſterent: ſe enim non mediocris lucri loco ponere di-
cebat, & inter ſumma Dei beneficia collocare, quòd homo*

Chri-

Chriſtianus, & Sacerdos, & veræ pietatis cultor, a Chriſtianæ fidei hoſtibus lapidibus appeteretur, ob eã tantum cauſam, quod veram religionem, & Eccleſiæ R. dignitatem ſtudioſiſsime tueretur. Huic illi poſtulationi ita reſponderunt, ut dicerent, Nunciũ Pontificium, ut hominẽ Chriſtianum, & ſacerdotẽ decet iniuriã ſibi illatã uindictã non cupere, eamq́; libentiſsime cõdonare: Sibi tamẽ quod muneris ſui ratio poſtularet, omnino curandum, ut & audacia comprimeretur, & tantũ facinus iuſto ſupplicio vindicaretur, propterea ſe inquiſitionẽ non intermiſſuros, donec inuenti fuiſſent ſceleris auctores, & grauiſsimis pœnis affecti. Tunc Bonhomius in eorum frequentiſsimum conuentum, huius vnius rei cauſa, ſe contulit, & præſens coram ab eis ſummis precibus contendit, ne quid omnino aut ſtatuerent, aut agerent grauius in eos, qui ſibi iniuriam facere voluiſſent, nec prius orandi finem fecit, quam illi fidem præſtiterint, ſe facinoris vltionem ipſo uolente, & rogante omiſſuros. Hæc eo agente, nonnulli eorum, qui extra curiam moras trahebant, multa in Epiſcopum dixerunt, eius domeſticis audientibus, illudq́; in primis, eum cum ex oppido egrederetur, caput in ipſa porta relicturum, quod nefarias uidelicet manus in Domini ſacerdotem inferre incredibili cupiditate flagrarent. Verum Epiſcopus tum multis alijs humanitatis officijs, tum maxime pietate illa, & charitate non vulgari, qua illatam ſibi

iniuriam condonauit, ita ſibi illius Regionis principum a Catholica etiam fide diſſentientium, animos concilia- uit, vt poſtea facilius rem, cuius cauſa tum Coriam venerat, ex ſententia confecerit, & eius iudicium in controuerſia dirimenda Rheti facile approbarint. Inde ad Heluetios reuertens, vt munus Legationis expleret, Bernam diuertit, unam ex ijs Heluetiorum Ciuitatibus, quæ, falſis de Religione opinionibus, ab Eccleſia Roma- na deſciuerunt. Hic dici vix poteſt, quot, quantaſue iniu- rias fuerit ab omnibus perpeſſus: unam aut alteram re- cenſebo, ex quibus reliquas omnes coniectura aſſequi quiſque facile poterit. Nam Oppidum ingreſſus, cum incidiſſet in multitudinem, vnum in locum coactam, ad audienda hominis, capitali iudicio damnati, maleficia, quæ, vt mos eſt illarum gentium, publice populo legeban- tur, reo ipſo præſente, & annuente; nonnulli cæteris ini- quiores, illum ex veſtitu Sacerdotem, & Epiſcopum cognoſcentes, & toruis oculis intuentes, dicere cœperunt, furem, qui ad ſupplicium duceretur, poſſe dimitti, & eius loco furem hunc alterum, qui nuper adueniſſet pa- tibulo ſuſpendi; Cum autem ea multitudine via ita eſ- ſet obſepta, ut progrediendi facultas non daretur, in pro- ximam meritoriam tabernam, ad reficiendas vires, di- uertit, ubi continuo publici apparitores preſto fuerunt, qui, Magiſtratuum, & Senatorum Bernenſium nomi- ne, ei, pœna mortis propoſita, imperarunt, ne inde diſce-

deret

deret priuſquam ipſi facultatem abeundi permiſiſſent: Ille cum eo die Friburgum peruenire conſtituiſset, & propterea Bernæ nõ diu cõſiſtere uellet, per homines Heluetios, quos itineris duces ſecum habebat, a lucernenſibus dato, et nonnullos alios viros nobiles, Dei, et ueræ, catholicæq; Religionis cultores, qui tum forte ibidem hoſpitabantur, Magiſtratus Bernenſes rogauit, ne ſibi, quin cæptum iter perficeret, prohiberent. Interea multitudo, vulgusq; hominum promiſcuum eò confluere in ædes certatim irrumpere, multa uerba iactare, multis conuicijs, & nuncium ipſum, & eius domeſticos compellare, omnes ſuſpendendos conclamare. Paullo poſt eò Prætor acceſsit, & cum eo ſex Senatores, & magnus apparitorum, & famulorum numerus: ad hos in Triclinium, quod erat in poſteriore domus parte, ingreſſos, deſcendit Bonhomius, & omnibus, quàm fieri poterat, humaniſsime ſalutatis, cauſam quæſiuit, cur ſe illic conſiſtere iuſsiſſent: Reſpondit Prætor, homo inter eos nobilitate, & opibus maxime clarus, longa oratione, cuius, ut ex interprete cognitum eſt, hæc erant capita: Bernenſes de Nuncio Pontificio conqueri, quòd eos contumelioſo nomine germanico Kethzer appellaret, hoc eſt Hæreticos; tum quòd commercia, quæ cæteri Heluetij ſecum haberent, tollere tentaret, præterea quòd homines ſuæ ipſorum Religionis ſectatores, hoc vno nomine Religionis, undique expellendos curaret; idq; recenti duorum

exemplo

exemplo poſſe confirmari, qui eius opera ex oppido, in quo habitarent eiecti nuper fuiſsent. His de cauſis ſe nomine totius Ciuitatis ei denunciare ne poſthac, aut Vrbem ingrederetur, aut per eorum fines iter faceret, etiam ſi comites cuiuſuis generis, & a quouis adiunctos haberet, qui ei itineris tutò, & libere faciendi poteſtatem pollicerentur: hoc quidem tempore ei impune abire licere; in poſterum non licere: Quod ſi Ciuitate inuita, id tentaſſet, eam ſuo in illum iure vſuram, & captum in vinculis cauſam dicere coacturam. Reſpondit ad hæc Antiſtes, per eundem interpretem, ſe nunquam eo nomine, de quo quærerentur, illos appellaſſe, cum eſſet penitus ignarus linguæ Germanicæ: Quin etiã anno ſuperiore, cum id verbum a ſuo ipſius Concionatore publice vſurpari, & ab Eccleſia Romana diſiunctos, eo nomine appellari audiſset, ſe illi, vt omnino abſtineret, iniunxiſse, quod ea appellatione grauiter illos commoueri intellexiſſet; neque vnquam tentaſſe; aliorum cum ipſis commercia tollere, in eoque ſe exiſtimare; ſibi iniuriam fieri, quod aut id in ſe confingerent, aut maleuolis, falſa deferentibus, crederent; nec demum illos qui eorum Religionem ſequerentur, ex locis, in quibus habitarent, expellendos curaſſe; fateri quidem ſe mandaſſe, vt duo Porentrucenſes, niſi ad certam diem ad ſanitatem, & veram pietatem reuertiſſent, ex Ciuitate eijcerêtur, ſed ſe nunquam credidiſſe,

Bernenſes id ægre laturos, cum illi, nec eorum ciues eſſent, nec clientes, nec omnino Heluetij, aut, cum Heluetijs fœdere, & ſocietate coniuncti; Hæc autem omnia multi, ac inter cæteros, Bernenſes Concionatores, ad oſtium Triclinij obſeruantes, audiebant, quæ vltro, citroque dicebantur: Porro ijs omnibus, quæ fuerant obiecta, refutatis, cum nihil amplius, quod obijcerent, haberent, ac probatis reſponſionibus, diſceſſuri viderentur, rogauit eos Nuncius, quoniam falſa eſſe cognouiſſent, quæ de eo, vel delata, propter improborum nequitiam, vel ſuſpicione inani concepta fuiſſent; decretum, quo vetuerant, ne in poſterum, per ipſorum vrbem, & fines, iter faceret, tollerent; ſe quidem de eo non magnopere laborare, ſed illis etiam atque etiam eſſe videndum, ne ea re ius legationis, & gentium violarent; ad quod illi reſponderunt, ſe de eo, in publico conſilio, acturos; & quod ſtatutum fuiſſet, illum per litteras certiorem facturos: Hoc ipſi reſponſum cum reddidiſſet ab Antiſtite perbenigne valere iuſſi, rogatiq́, ne tam faciles iniquorum delationibus aures præberent, inde receſſerunt: Interim autem contigit, vt dum Antiſtitis famulus quidam prairet, quod pedibus iter haberet, nihilq́ mali ſuſpicans ad portam Ciuitatis perueniſſet, à duobus lictoribus caperetur, & pecunia omni, nonnullisq́ alijs rebus ſpoliatus, in carcerem conijceretur, vnde prius dimiſſus non fuit, quam Prætor, cæ-

teriq; ad prætorium redierint, poſt congreſſum illum, quem cum Pontificio Nuncio habuerant: Tunc autem dimiſſum, extra Oppidum, omni conuitiorum genere onuſtum, egerunt. Porrò cum Nuncius ipſe diſceſſurus mulam conſcendiſſet, ingens Bernenſium turba eò conflu xit. Horum alij rudentes, & aſinorum vocem effingentes, contumeliæ cauſa in eum conclamabant, alij manibus ad capulos gladiorum appoſitis, vimminabantur, alij nebulonem, & furem appellabant, & proximum ei patibulum imprecabantur; alij rapas, & globos ex niue, manibus compreſſa, cuius magna erat, brumalibus diebus, in illis locis copia, in illum, & Comites conijciebant, & quod intolerabilius fortaſſe fuiſſet, ſi verba illo idiomate prolata, percepiſſent, vt poſtea ab interprete ſignificatum fuit, nonnulli Arianos, & Anabaptiſtas illos nominabant, quam contumeliam affirmauit poſtea Epiſcopus, ſe æquo animo laturũ non fuiſſe, omninoq; refutaturum, ſi intellexiſſet; huiuſmodi enim iniurias non eſſe ſilentio diſſimulandas, cum Dei honorem, Eccleſiæque Catholicæ dignitatem labefactarent, cuius ſe acerrimum defenſorem profitebatur. Illud demum apud Heluetios non mediocri laude dignum geſſit, quod Capuccinorum Religionem, ſanctitatis, & ſacrarum litterarum ſcientiæ nomine florentem, in eorum Regionem induxit; & Vranniæ primum eis locum conſtituit; vt præclarum quoddam aliud facinus

cinus ſilentio inuoluamus, quod periculum, ac exitium maximũ toti Italiæ imminens, auertit conſilio ſuo, animique magnitudine, qua apud ipſos Heluetios, quorundam conatus compreſsit, & fregit, quos non patitur res ac temporum conditio, latius explicari. Hinc igitur ad aliam legationem tranſeamus, quam à Pont. Max. Gregorio XIII. iniunctam apud Rodulphum Imperatorem, ſapientiſsimè, ſummaq́ cum dignitate adminiſtrauit, nec non incredibili fructu, ac iucunditate tum Pontificis, tum Imperatoris amborum nimirum totius Chriſtiani Orbis Principum: Accidit ergo, dum apud Rodulphum, internuncius Apoſtolicus Vercellarum Epiſcopus ageret, ut ipſius Imperatoris iuſſu, totius fere Germaniæ Principum conuentus cogeretur, quem communi nomine dietam appellant, in Vrbe Auguſta Vuindelicorum. Inter hos non pauci aderant nouarum hæreſum ſectatores: Adeſſe voluit, & Epiſcopus Bonhomius, illudque authoritate ſua, prudentia, doctrina, eloquentia, facile aſſecutus eſt, ut & eorum ſententias irritas, inaneſque reddiderit, qui Romano Pontifici infenſi videbantur, & nihil ſtatutum in eo conuentu decretumue fuerit, niſi ex Romanæ, Catholicæq́ Eccleſiæ dignitate; omnino autem in illud ſummo ſtudio, ſummaq́ contentione incumbebat, vt Chriſtianæ, Eccleſiaſticæq́ diſciplinæ, quæ in dies magis collabebatur, formam reſtitueret, reſtitutamque pro viribus

 tueretur.

tueretur. Hinc multos regni Pannonici, & Bohemiæ Principes, qui falſas impiorum opiniones ſequebantur, vitæ ſuæ exemplo, & dicendi grauitate, ad ſanitatem & veram pietatem colendam reuocauit, quorum deinde exemplo multa hominum millia commota, ab impuris ſuperſtitionibus, ad veram religionem, a tenebris errorum, ad veræ ſapientiæ lumen, a cathedra peſtilenti, ad ſalutarem diſciplinam conuerſa, Romanam Eccleſiam ſuam, omniumq; Chriſti fidelium matrem agnouerunt, Romanoq; Pontifici obedientiam ſpoponderunt. In eo numero fuerunt duo Hæreticorum dogmatũ publici Doctores, & Concionatores, qui tantæ impietatis facinus deteſtati, in Epiſcopi ipſius manibus, publico, ſolemniq; iuramento præſtito, vniuerſam hæreſum colluuionem abiecerunt, polliciti ſe in poſterum pie victuros, & viuendi præcepta ab Eccleſia Romana tradita, & probata ſecuturos, & ſeruaturos. Erat in illis locis eo tempore Palæologus Hæreſiarcha, qui doctrinæ, & auctoritatis opinione, quam ſibi apud eas gentes malis artibus comparauerat, plurimos ſecum in exitium trahebat. Eum, vt hominem Reip. Chriſtianæ pernicioſiſſimũ, Pius V. P. M. in poteſtate habere ſæpe tentarat, ſed fruſtra, cum is hominũ potentum, & multorũ Germaniæ Principum opibus fretus, oẽs Põtificis conatus eluderet, & euitaret: eum Bonhomius cum ad hanc rem animũ adiecisset captum, & vinctum Romam mittendum curauit:

ubi ille poſtea debitas, et iuſtas impietatis ſuæ pænas perſoluit. Eadē tēpore in Germania perpetrata eſt res plena audaciæ, ſceleris, & impietatis. Nam Gelardus Truchſeſius Coloniæ Archiepiſ. homo nobilitate, opibus, clietelis potentiſsimus, & unus ex ijs, qui nunc apud Germanos habent legitimā poteſtatē, Imperatoris ſuis ſuffragijs, eligendi, & creandi, neglecta penitus R. Pontificis auctoritate, & effractis omniū legum repagulis, ac pudore abiecto, impius Hæreticorum opiniones ſecutus, uxorē duxit, fœminam illius gentis nobiliſsimā, cuius imitatione, & exemplo nonnulli ſacerdotes illarū nationum improbi, & impij eodē ſe inexpiabili ſcelere polluiſſent, niſi tanto malo impendenti Pōtifex occurrendū eſſe mature ſtatuiſſet, & huiuſmodi impietatis auctorē ſeueriſsime puniendo, illius pœna cæteros, à tanto ſcelere perpetrando, deterruiſſet. Re igitur explorata, ſtatim illū ex fidelium cōmunione, & ſocietate eiectū, de ampliſsimi Archiepiſcopatus poßeſsione deijcere ſtatuit, & in eius locum aliū ſufficere qui uerā pietatē, catholicamq́ fidē coleret. Sed id pp hominis potētiā, admodū difficile, & periculoſū uidebatur, præſertim cū opibus, et armis nōnullorū Germaniæ Principum niteretur, qui erant cum eo uarijs neceßitudinibus cōiuncti, & iāpridē a catholica fide auerſi, dignitatē, & auctoritatē Eccleſiæ R. labefactare, perdere, funditusq́ delere contenderent. Rē tamen tentandā R. Pontifex ratus; cū ſperaret diuinā opem, ad eā conficiendā, adfutu-

B

ram

ram; Andream Auſtrium Cardinalem, tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatum, ac præterea Bonhomium, Malaſpinam, & Oranum Epiſcopos, cũ ſumma rei gerendæ poteſtate Coloniam deſtinauit, qui cum Spiram paucorum Equitum præſidio ſuffulti perueniſſent; cognouerunt Caſimirum, Comitis Palatini fratrem, audito ipſorum conſilio, & itinere, quattuor peditum millibus, & Equitibus quingentis, adiunctis etiam bellicis tormentis, quas bombardas vocant, omnes vias, quæ Coloniam ferrent, obſediſſe, vt eorum iter impediret, & Cardinalem, ipſosq; Epiſcopos interciperet: Cardinalē quidem, vt dum eum apud ſe in cuſtodia retineret, Pontificem, & Imperatorem ad eam deliberationem compelleret, vt Truchſeſium de Colonienſi Archiepiſcopatu ſe non deturbaturos, & in ea Religione quam profiteri cœperat, libere permanendi, poteſtatem facturos pollicerentur: Maleſpinam vero, quod eum diceret fuiſſe Stiriæ, & Charintiæ perturbatorem, quod nimirum is Epiſcopus eas Prouincias, nomine Pontificis perluſtraſſet; Oranum, quod officium inquirendi in Colonienſem Archiepiſcopum ſuſcepiſſet: Bonhomium demum, quod Palæologum vinctum Romam miſiſſet, contra Germaniæ libertatem; Qua propter Bonhomium ipſum tandiu, carceri mancipatum, apud ſe detinere ſtatuerat, quandiu Romæ de Palæologo decerneretur; pariq; iure, & conditione in Epiſcopum vti, qua cum Pa-

læologo actũ eſſe, intellexiſſet. Cardinali igitur ab ipſo Caſimiro, itineris, per ipſius fines, tuto faciendi, facultatem petenti, reſpondit Caſimirus, ſe quidem illi, ut Auſtrio Principi, omnia libentiſsime conceſſurum. ſed ut Pontificis Legato, nec debere, nec poſſe id concedere ſine graui ſuæ conſcientiæ offenſione; præſertim cũ eum armatorum hominum copiam Coloniam ſecum ducere, nec non homines illos pacis, & otij Germaniæ perturbatores, cognouiſſet; Itaque cum Spiræ inter ſe Antiſtites iſti de itineris ratione conſultarent, ac biduo poſt Rheno tranſmiſſo, per Comitis Palatini fines, a quo iam impetrarant liberam tranſeundi poteſtatem, Maguntiam ſe conferre ſtatuerent, illuc Caſimirus cum omnibus copijs ſe contulit, propèque Spiram caſtra poſuit, & Spirenſibus præterea minitatus eſt, niſi Cardinalē, & omnes eius comites, quamprimum ex oppido eieciſſent; ſe illos loco hoſtium habiturum; Quod cum Senatus Spirenſis Cardinali ſignificaſſet, dixiſſetq́, periculum ei impendere, non ſolum à Caſimiro, ſed etiam à Spirenſibus ipſis, qui animum Caſimiri offendere, & res ſuas in diſcrimen ea de re adducere nollent; nec Senatum poſſe impetum multitudinis concitatæ comprimere, & coercere; omnes noctu ex Oppido profugerunt, & præeunte fido itineris duce, eorum locorum peritiſſimo, & in bellis exercitato, Rheno traiecto, vijs occultis, non intermiſſo totius diei itinere, (erat autem tum

aqui-

æquinoctium vernum) contento curſu, Ratiſtadium Marchionis Badenſis oppidum, ſub noctem peruenerunt; indeq; euitatis Caſimiri inſidijs, in Alſatiam ſe contulerunt. In eo itinere facile conijcere potuerũt, Comitem etiam Palatinum Truchſeſio occulte ſtudere, & Caſimiri fratris approbare, & ſequi conſilia, delatum enim ad illos fuit, in uia, quæ Bruſellam ducit, trecentos Equites fuiſſe collocatos, & Bretennæ item quingentos, quod illac, opinio erat, Legatum, & comites tranſituros; quemadmodum vere iter illud feciſſent, ſi recta in Alſatiam venire voluiſſent. Huc acceſſit, quod cum Cardinalis ab eo rurſus opem, & milites, præſidij cauſa, vt per eius fines tuto iter habere poſſet, per litteras, & nuncios peteret, & de Caſimiri conſilio, & facto conqueſtus fuiſſet; reſpondit ille, ſe facultatem tranſeundi iam conceſſam, nolle adimere; ſed ſi eam non dediſſet, non amplius conceſſurum fuiſſe: poſteaquam cognouiſſet; ab eo milites Coloniam adduci, ad Germaniæ pacem, ac quietem publicam perturbandam, atq. etiam hac de cauſa Hiſpanorum copias, ex Belgis aduocatas: quapropter nullum a ſe præſidium, nullos milites expectaret: quod attinet ad fratrem Caſimirum, eum a ſe non poſſe prohiberi, quo minus id quod vellet, in ſuis finibus ageret, nec etiam fidem ſe præſtare, quod nihil periculi, a fratris militibus, etiam in ſuis finibus eis immineret. Itaque his tot, ac tantis difficultatibus

obiectis

obiectis, cum aliquot dies in Alſatia eſſent commorati, Cardinaliſq; , & Oranus , ac Maleſpina , ſibi a capto itinere deſiſtendum eſſe, omnino viderent ; vnus Bonhomius totum onus ſuſcepit , & depoſito Epiſcopi , & ſacerdotis veſtitu, ne ab hoſtibus cognoſceretur, cum paucis comitibus , per hoſtium fines , Coloniam venit , illorum conatus eludens, & inſidias contemnens : Quo loco animaduertere licet ſummam D. O. M. erga cultores ſuos, liberalitatem , & gratiam, qua optimis conſilijs fauere, eaq; , quæ diuini honoris tuendi , & amplificandi cauſa, cœpta ſunt , ad optatum exitum proſequi , & ad optimum finem perducere ſolet. Nam huic viro fortiſsimo , cum in viam ſe dedit , ita adfuit , vt ex apertiſsimis eum inſidijs eripuerit: hoſtes enim, qui diligentiſsime quærendo , & explorando , aliquid de illius conſilio audierant , in quadam ſylua , per quam eum noctu tranſiturum, intellexerant , inſidias collocarunt ; vbi inſidiatores totam noctem fruſtra commorati , cum luce illũ tranſire non auſurum arbitrarentur , die illuceſcente , diſceſſerunt : ille autem ipſa die ſyluam pertranſijt , & hoſtiũ inſidijs diuinitus euitatis , incolumis euaſit . Cum autem Coloniam perueniſſet cognouit Truchſeſium cognitis Pontificis conſilijs , & nunciato eorum , qui contra ſe mitterentur , apparatu , ſimul etiam permotum conſcientia , & magnitudine ſceleris, a ſe perpetrati, & Ciuium odio in ſe ipſum per tantum facinus , concitato , ex Vrbe profugiſſe.

fugiße. Itaq. à Ciuibus Colonienſibus, & in primis a Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicis humaniſsime receptus, ſtatim pro poteſtate à Pontifice ſibi tradita, in Truchſeſium, tantæ impietatis reum, excommunicationis ſententiã tulit, eundemq. Archiepiſcopatu Colonienſi ampliſsimo, & opulentiſsimo priuauit; Inde conuocato, & coacto Sacerdotum Canonicorum Collegio, quorum intereſt Archiepiſcopum ſuis ſuffragijs eligere, Summi Pontificis nomine, illis imperauit, vt Truchſeſio ſucceſſorem, in Archiepiſcopatu nominarent, vita integerrima, Eccleſiæq.; ac Chriſtianæ diſciplinæ cultorem egregium, quem ipſe, pro auctoritate Pontificia probaret, ac eligeret. Cum autem, in illis Comitijs, duos Canonicos, Truchſeſio neceſsitudine coniunctos, ei fauere, & ne alius, in eius damnati, & eiecti, locum, ſufficeretur, contendere comperißet, quamuis illos, in ea Ciuitate, opibus, propinquorum, & amicorum copia florentes, animaduerteret, ex Collegio tamen eiecit, & ſacerdotij fructibus, atq. omni dignitate priuauit: poſtea Erneſtum Bauariæ Ducem Leodienſem Epiſcopum, virum copijs, amicitijs, & clientelis potentiſsimum, & Truchſeſio omnibus rebus longe ſuperiorem, & quod caput eſt, catholicæ religionis cultorem, & acerrimum defenſorem, a ſe propoſitum, conſentientibusq. reliquorum Canonicorum ſuffragijs, electum, approbauit, & poteſtate à Pontifice conceſſa, Archiepiſcopum Colonieſem de-

clarauit,

clarauit, & conſtituit. Inde Eccleſia Colonienſi ad Chriſtianorum morum diſciplinam, & diuinum cultum, qui ſuperioris Archiepiſcopi impietate, erat magna ex parte extinctus, conſilijs, auctoritate, ſanctæ vitæ exemplo, cohortando, & præcipiendo, reuocata, veraq; religione, quæ labefactata fuerat, penitus confirmata, toto deniq; illo negotio, cuius cauſa Coloniam venerat, ex ſententia confecto, ad Imperatorem rediit, apud quem Sedis Apoſtolicæ Nuncium agebat, cum magnam, apud omnes, prudentiæ, fortitudinis, ſummæq; celeritatis laudem eſſet conſecutus. Poſtremam apud Belgas Legationem, a Romano Pontifice iniunctā, obiit: Illuc enim a Gregorio xiij. reformatoris titulo miſſus eſt: verum cum ſumma, quæ in Legatum de latere conferri ſolet, poteſtate: vt nimirum uniuerſam Chriſtianā, Eccleſiaſticāq; diſciplinam, iam prope collapſam, impiorum hominum peruerſitate, & diuturna bellorum clade, renouaret, in antiquumq; nitorem reſtitueret. Hæc enim Belgarum prouincia celeberrima, quæ Flandria ſolet appellari, ut hauſtas impiorum hominum hæreſes, conſectari poſſet, ac pecudum, rationis expertium, vitam omnium voluptatum cœno commaculatam, degere: a Philippo Hiſpaniarum Rege catholico, Chriſtianæq; fidei defenſore, ac proprio comite, & domino defecerat: ſublata prope erat vera Religio, ſacri ritus neglecti, diuinus cultus extinctus, ſacerdotes expulſi, bona ſacra in vſus profanos conuerſa,

templa euerſa, iura humana, & diuina violata: regnabat autem apud eos libido, & impietas, omnes viuendi rationes ad ſuum arbitrium ſibi confingebant: Quamobrem in eam maxime curam incumbebat Chriſti Domini Vicarius in terris, vt neglecta Religio, apud eas gentes, denuo reciperetur, leges ueteres renouarentur, nouæ ſancirentur; ſacerdotes in bonorum ſacrorum poſſeſsione, de qua fuerant vi, & armis deturbati, rurſus collocarentur, ad templorum euerſorum inſtaurationem impii adigerentur; multorum ſcelera punirentur, multorum innocentia defenderetur, omnia denique in eum ſtatum, in quo ante defectionem, & bellum fuerant, reſtituerentur. Res erat multis, ac magnis difficultatibus implicita, laborum, & periculorum pleniſsima; ſed Pontifex iam tantum ſibi pollicebatur de virtute Bonhomii, cognita iam, ac plane perſpecta, atque probata, vt ab eo hæc omnia facile confici poſſe conſideret. Eum itaque Legatione apud Imperatorē perfunctum, in Belgas, vt dictum eſt, miſit, cum ſumma poteſtate decernendi, & ſtatuendi, quicquid ex vſu Reipublicæ Chriſtianæ viſum fuiſſet. Bonhomius igitur eo profectus, concilijs ſacerdotum e ius Prouinciæ indictis, & conuocatis, optimis inſtitutis populos illos, ad diſciplinam a ſanctiſsimis patribus traditam, rurſus amplectendam, in primisq; ad ea, quæ eſſent in Tridentino concilio conſtituta, ſeruanda, recuſantes primum, deinde aſſentientes, admirabili prudentia,

dentia, orationis grauitate, & vitæ ſuæ integritate perduxit. Ita vera Religione paulatim introducta, & inſtituta, ſacerdotum, & reliquorum licentia compreſſa, eas gentes feras, & barbaras Eccleſiæ Romanæ magna ex parte ſubegit, & rurſus parere docuit: Controuerſias publicas, & priuatas innumerabiles, quæ & belli diuturnitate, & rerum mutatione, erant exortæ, totq; difficultatibus complicatæ, vt nunquam viderentur poſſe explicari, diligenter cognouit, & diremit. Ex multis autem rebus, quas ibi geſſit, quibus ſuum in Eccleſiam Romanam ſtudium; & pietatis in illis locis reſtituendæ, & confirmandæ cupiditatem declarauit: ea non videtur eſſe ſilentio prætereunda, quæ prudentiæ illius, & vigilantiæ opinionem auxit, & confirmauit. Eſt in illis locis oppidum Nuſſium natura, & arte valde munitum, Coloniæ propinquum, Hoc Hæretici tanquam tutiſsimũ propugnaculum ſibi delegerant, ac ob eam cauſam, nouus Colonienſis Archiepiſcopus, in aſsiduo metu, & periculo verſabatur, nec res ab ipſo Bonhomio Coloniæ geſtæ, ſatis firmæ eſſe poterant, donec id Oppidum ab hoſtibus poſsideretur. Qui vero belli negotia in illis Regionibus adminiſtrabant, ſiue diffiſi ſe poſſe illud expugnare, ſiue alijs rebus impediti, nunquam illam expeditionem ſuſceperant. Bonhomius igitur perſpiciens quantum momenti eſſet in illius oppidi expugnatione, ad veram Religionem confirmandam, & ſtabiliendam, Alexandrum

Farneſium tunc Parmæ, & Placentiæ Principem, nunc aũt Ducem, apud quem totius belli ſumma erat, aſsiduis precibus, & efflagitationibus impulit ad eam rem, ab aliјs intentatam, aggrediendam, cum ei probaſſet, illius oppidi expugnationem noſtris plurimum utilitatis hoſtibus plurimum damni allaturam: Copiæ igitur eò ſunt adductæ, Nuſsium captum, impij qui ſe illuc receperãt, cæſi, Colonienſis Diœceſis propinquo periculo liberata. Hæc omnia copijs quidem regijs, & Alexandri virtute, ſed Bonhomio ſuaſore, & impulſore geſta, & confecta fuere. His atq; alijs huiuſmodi præclariſsimis, hæroicisq; actionibus toto pectore tenuiſsimo, licet, ac iamdiu confecto, incumbens integerrimus Epiſcopus, diuiniq; honoris percupidus, cum nec difficultatibus, nec laboribus, nec corpuſculi imbecillitate à cæptis inſtitutis, poſſet reuocari, aut retardari, tum horum omnium diuturna perpeſsione, tum cœli frigidiſsimi inſolentia, in morbum incidit grauiſsimum, quo clariſsimum hoc chriſtianæ fidei, & religionis lumen extinctum eſt. Morbo ingraueſcente teſtamentum fecit, & omnia ſua bona, quæ apud ſe habebat, & quæ Vercellis erant, et Vercellenſis Ciuitatis loco legauit, vbi pecunia publice aſſeruatur, quam tenues, & inopia rerum neceſſariarum appreſsi, in ſummis difficultatibus, ſine vllo fœnore, depoſitis tantum pignoribus, mutuo accipere ſolent: qui locus ex eo Mons Pietatis vulgo appellatur; corpus uero

ſuum

ſuum vercellas item comportandum, ibiq; ſepeliendum mandauit: Porrò in ipſo morbo dicitur de nulla alia re, quam de patria cœleſti, cum ijs, qui illum inuiſerent, loqui voluiſſe, eoſq; rogaſſe, ne vllum alium ſermonē inferrent; ſæpeq; viſus eſt illachrymare, cum à Deo ſuorum delictorum ueniam precaretur. Inciderat eius morbus in id tempus, quo ex more, & ritu Chriſtiano, quadraginta dierum ſeruatur ieiunium, iſq; ciborum delectus habetur, vt carnem, caſeum, oua, & alia omnia, quæ a carne originem trahunt guſtare nefas ſit per noſtræ Religionis inſtituta, Chriſtum enim veræ diſciplinæ auctorem immitamur, qui quadraginta diebus in ſolitudine vltro ieiunauit; & indomitas turpiſſimarum voluptatum cupiditates comprimere hoc ieiunio contendimus. Sed cum multa hominum genera, hac lege ſine impietate ſoluantur, tum maxime grauiter ægrotantibus, ut ſe quouis cibi genere, ex Medicorum ſententia, reficiant, ſacris legibus permiſſum eſt. Medici igitur, cognita morbi grauitate, eum hortabantur, eique ſuadebant, vt quod per Eccleſiam liceret, cibos ſalubriores deguſtaret, quam quibus in quadrageſima ueſci cõſuetum ſit: ſed hanc ipſe licentiam, qua erat pietate, nunquam non recuſauit; quod diceret, nihil tunc ſibi cibos illos profuturos, ſi uis eum morbi deſperati eſſet conſumptura; non obtinuit tamen, quin clam familiares, Medicorum conſilio, præſcriptos ei cibos obtulerint, ſanctâ quadam fraude

fraude contectos, ne eos pietatis cauſa renueret. ſed morbi tandem grauitate ad extremum uitæ terminum perductus, laborum, ærumnarum, periculorum, quæ diuinæ gloriæ amplificandæ ſtudio ſubijt, mercedem magnam nimis accepit; in cœlũq; euocatus æuo perfruitur ſempiterno, vt ex vitæ ipſius integritate, & morum ſanctimonia, quam præ ſe perpetuo tulit, conijcere licet. Obijt autem Leodij in Eburonibus, quæ eſt Belgarum Ciuitas, incredibile ſui ipſius deſiderium, præclarumq; doctrinæ, & pietatis exẽplum, tum probis uiris omnibus relinquens, tum maxime Chriſtianorum populorum præſulibus, ad quos tanti viri fama longe, lateq; diffuſa peruenit. Eius Cadauer Vercellas aduectum, vt teſtamento mandauerat, ibi præclaro, & perluctuoſo funere elatum eſt. Laudationem eius habuit egregiam eloquentiſſimus uir: ſed præclarorum eius facinorum memoriam præſtantiſſima ipſius monimenta, quæ vel modo in lucem mea opera prodierunt, vel in poſterum edentur, ab interitu vindicabunt; immortalitatiq; commendabunt.

Errata ſic corrigito.

In Epiſtola linea 8. qui hæc. quin hæc.
2. linea 9. ſedet in vrbe. ſedet vrbe.
Pagina 2. linea 7. ab horis. ab oris.
6. lin. 5. Tartareaq.. Tartareasq.
9. lin. 26. nefandos. nefandas.
10. lin. 20. clemens. Clemens.
10. lin. 14. iuuendi. iuuenili.
11. lin. 9. Hos viſum. Nos viſum.
11. lin. 10. Veram. Verum.
12. lin. 6. Nos minus. Non minus.
12. lin. 11. vſq.. vtq.
18. lin. 10. Autborem. Authorem.
18. lin. 15. uariantnr. uariantur.
21. lin. 19. præerunt. præeunt.
23. lin. 5. aut toties. haud toties.
24. lin. 3. cetho. lætho.
25. lin. 12. Indcfeſſa. Indefeſſa.
25. lin. 20. ſeptra. ſceptra.
26. lin. 23. nobiſeum. nobiſcum.
30. lin. 13. Atquo. Atque.
33. lin. 15. foro. ferro.
33. lin. 26. perimxta. permixta.
35. lin. 11. Clam petcre. Clam petere.
36. lin. 21. ad mota. admota.
39. lin. 8. ſe legit. ſelegit.
45. lin. 6. nouum. nonum.
48. lin. 7. Erynnus. Erynnis.
48. lin. 15. hora. ora.
49. lin. 5. Anitſtes. Antiſtes.
51. lin. 1. ſacros. ſacras.
53. lin. 18. aſcendit. accendit.
62. lin. 9. ſol ſit. ſolo ſit.
63. lin. 4. vicino. vicina.
65. lin. 10. ingrue? ingruet?
99. lin. 10. impietate. impietatem.
100. lin. 23. perceperent. perciperent.
105. lin. 5. dato. datos.
118. lin. 22. ſacerdotume ius. ſacerdotum eius.